THEOLOGIAE
DOGMATICAE
LECTIONES.
TOM. IV.

MICH. ARCHANGELI LVPVLI

ACADEMICI HERCULANENS. NUNC S. METROPOLITANAE ECCLESIAE COMPSANAE ARCHIEPISCOPI

THEOLOGIAE DOGMATICAE LECTIONES

TOM. IV.

EDITIO ALTERA.



In antiq. gemma ap. Auctorem

NEAPOLI
EXCVDEBAT RAPHAEL MIRANDA
MDCCCXXX

THEOLOGIAE DOGMATICAE LECTIONES.

LIBER TERTIUS

DE DEO CREATORE

PARS I. DE ANGELIS.

Foecundissimam Dei unitatem in tres Personas dilatatam, earumque processiones, superioribus libris exsequuti, eius e vestigio bonitatem in res conditas effusam earumque a Deo processiones, quod doctrinae ordinisque ratio adprime postulare videtur, persequi instituimus. Quum autem creaturarum duo sint genera, visibilium, et invisibilium, de invisibilibus primum agemus, mox de corporeis. Ab Angelis autem sermonem auspicemur.

CAP. I.

ANGELOS IN RERUM ESSE NATURA EVINCITUR. EORUM CREATIO CUR A MOSE PRAETEREATUR.

I. Graeci Angelos ex eo adpellarunt, quod de Caelis veluti nuncii ad homines mittuntur; Αγγελου enim vox *missum* significat. Hebraeis autem Angeli audiunt מלאכים *Malachim* ex voce מלאכה *Melachat* quae *ministerium* sonat; unde in Scripturis *mesharethim ministri* dicuntur, et in Libro Danielis צירים *irim* vigiles, nimirum quod ad Divina exsequenda mandata parati semper sint, atque intenti. Hinc *Angelus*, (Augustinus inquit *Serm. I. in Psal. CIII.*) *officii nomen est, non naturae*, et ipsissimis verbis S. Gregorius *Hom. XXXIV.* Tertullianus autem *Lib. contr. Jud. cap. IX. Nec novum est Spiritui Sancto Angelos adpellare eos, quos ministros suae virtutis Deus praefecit.* Vnde *Malach. II.* 7. Angeli dicuntur Sacerdotes, qui Dei mandata annunciant; Et Joannes Baptista a Christo Domino ANGELUS dicitur *Matth. XI.* 10. quin et ipse Domi-

nus a Patre missus, ANGELUS TESTAMENTI adpellatur *Malach. III.* Et MAGNI CONSILII ANGELUS *Isiae IX.*

II. Propria autem, et singulari notione Angeli nomine substantia indicatur creata, intelligens, omnis materiae expers, completa. Et *creata* quidem, ut a Deo distinguatur, qui omnia creavit, ipse autem a nemine originem accepit. *Omnis materiae expers*, ut ab homine secernatur, qui spiritualis est simul, et corporeus. *Intelligens*, quod vi tanta intelligendi praedita est, ut absolute Angeli *intelligentiae* dicantur. *Completa*, in quo ab anima humana discrepat, quae licet substantia spiritualis sit, incompleta tamen est, siquidem ad corpus ordinatur, quocum hominem constituit.

III. Porro huiusmodi caelestes Spiritus, quos Angelos vocamus, in rerum esse natura, nemo nisi meridiana in luce caecutire velit, inficiabitur. Quum tamen nihil adeo sit certum, exploratumque, quod vel in dubitationem a nonnullis adducatur, vel etiam oppugnetur, hinc et suos adversarios nacta est veritas ista. Inter Judaeorum enim sectas, antiquissima omnium, atque Alexandri Magni tempore exorta, perhibetur fuisse Sadducaeorum illa, cuius auctor Sadokus, qui, ut in

Actis Apost. XXIII. 8. Lucas refert, neque resurrectionem fore credebant, *neque Angelum esse*, neque Spiritum (1). Quam calum-

(1) EXCURSUS

Adversus Volterium

De prima Angelorum notitia.

Volterius, Sadducaeis protervior, alteram calumniam adversus Christianam fidem ex impietatis suae paenu depromit. Blaterat enim in sua *Philosophia Historiae* Angelos in rerum non esse natura, eorumque existentiam merum fuisse hominum commentum, a Chaldaeis primum effictum, mox ad Persas perlatum, ab Hebraeis demum adscitum. Quanto risu dignus, et cachinno! Philosophum se venditat, et talia fatur; Historicus est et somnia scribit. Age accedamus ad hominem. Equidem non video cui bono primum Volterius tam variam congesserit eruditionem in libro *Sad-der* i. e. *codice canonum* magnificando, quem Persis tradidisse Zoroaster perhibetur. Nisi quod, quae mens insanientis hominis fuerit, non lateat, quippe totus in vindicanda *Sad-der* antiquitate videtur, et ut Mosaicorum librorum antiquitati hinc derogaret, et ut Angelos tam saepe in Pentateucho memoratos ex Zoroastris libris, ex Persis videlicet profectos, confictosque suaderet. O laevam hominis mentem! insanum iudicium! Ut enim a capite incipiam, ridendum primo in eo se praebet Volterius quod *Sad-der* nomine aliquem Persarum scriptorem esse autumarit, quum *Sad-der*

niam non Sacrarum modo Litterarum, ex quibus Pentateuchum illi dumtaxat receperunt,

---

non sit, nisi *Zendavestae* (sic enim inscribitur Zoroastris liber, quem ut Divinum Persae habent, cuiusque duae sunt partes, altera liturgiam continet, altera vero morum praecepta) epitome ad Laicorum usum, quemadmodum strenuo evicit Doctissimus Abbas Foucherius in suis monumentis de Zoroastre, quae habes inter memorias Academiae Parisiensis: *Memoires de l'Academie de Paris des Inscriptions*, *et Belles lettres tom. XLII. et XLVI.* Eccum prima Volterii fallacia! Accedamus ad alteram, ad Zoroastris nimirum antiquitatem tantopere a Volterio praedicatam. Sane de Zoroastris persona, patria, et Religione tot sunt sententiae, quot capita; aetas autem vel ex ipsis scriptis proditur. Et quidem ut Danielem Huetium praeteream, qui Zoroastrem eumdem fuisse ac Mosen contendit in *Demonstr. Evangel. cap. V.* (adeo nimirum in Mosaicis libris Zendavestae auctor profecerat), Clarissimus D. Peronius d'Anquetil, qui *Zendavestam* ante hos non multos annos in Gallicam linguam evulgavit, multis argumentis ostendit, librum illum medio circiter saeculo VI. ante Christum natum conscriptum fuisse. Haec de antiquitate libri ex ipsius merce. Verum, quod de Oraculis Sybillinis alibi a nobis adnotatum est, magno quidem cum fundamento de Zoroastris Zendavesta dici potest, eum fuisse primis Ecclesiae temporibus aut ex integro

sed totius etiam Ethnicae antiquitatis, ac fere ipsius naturae testimonio refellere conabimur.

---

confictum, aut saltem admodum interpolatum, ut Judaicae Religionis dogmata adparerent. Pluribus hanc opinionem confirmarem argumentis, nisi penitus actum agerem. Re quidem vera S. Joannes Chrisostomus *Orat. in S. Babylam* quae de Zoroastre etiam sua aetate spargebantur, ut *omnia conficta* reiecit. Sed qui plura aveat, consulat Cl. Natalem Alexandrum *Hist. Eccl. Saec. I. cap. XII.* Petavium *Lib. I. de Trin. cap.* 10. Huetium *Demonstr. Evang. prop. IV.* Casaubonum *Exercitat. I. in Baronium. cap. X.* Lambecium *Prodrom. Histor. litter.* et Joan. Albertum Fabricium in *Biblioth. Graec.* En altera Volterii penitus exsufflata calumnia, qua Zoroastri libros Mosaicis antiquiores effutiebat. Ultimum restat iam nunc diluendum Volterii convicium, nimirum a Caldaeis, vel Persis, non autem a divinis oraculis opinionem Angelorum originem trahere, quod nomina Angelis tributa, ut *Michael*, *Gabriel*, *Raphael* chaldaica sunt, non Hebraica. Sed impius homo fortasse femellis imponere cepit. Norunt enim vel ipsi pueri, huiusmodi nomina, et origine et forma hebraica esse. Et quidem *origine*; vocabula enim גבר *gabar*, et אל *el*, רפא *repha*, et אל *el* quibus ea constant, omnino sunt hebraica: ab Hebraeis namque usurpata in libris ante Babylonicam captivitatem conscriptis, et in ipso etiam Pentateucho. Porro et *forma* quoque he-

IV. Hesiodus Ethnicae Theologiae, si quisquam alius, antistes *Lib. I. operum, et dierum*, esse Angelos, eosque fortunas hominum curare fabulatur.

Dii daemones facti sunt Jovis magni consilio,
Boni, in terris versantes, custodes mortalium hominum:
Qui quidem observant et iusta, et prava opera,
Aëre induti, passim oberrantes per terram,
Opum datores.

Pythagoras tres supra humanam cognationem

---

braica esse, vel ex eo facile arguitur, quod in iisdem libris et alia occurrunt nomina, quae perinde formantur, veluti *Gaddiel Numer. XIII. Gamliel. Num. I. 10. et II. 20.* aliaque, quae eiusdem formae esse ac *Gabriel, Raphael* nemo inficiabitur. Quid quod Raphael nomen et tributum cuidam videtur I. Paralip. XXVI. 7. qui Davidis aetate vixisse videtur, eo nimirum tempore quo Hebraicus sermo non adhuc erat Chaldaismo interpolatus. Quid igitur de Volterio potius dices? sane hinc vel infamem se prodit, vel imperitum usque, et usque, vel utrumque. Et alia dicenda superessent; sed nolo amplius cum isto hominum genere verba conserere.

praestantiores ordines digessisse deorum, daemonum, et heroum disertis verbis Diogenes Laertius tradit in *Vit. Pyth. Lib. VIII.* Eosdem a Zenone constitutos ordines superiori libro idem testatur in *Vit. Zenonis.* Atque id fortasse a Thalete Milesio Pythagoram, Zenonemque didicisse coniectu difficile non est. Athenagoras enim in Apologia pro Christianis trifariam huiusmodi divisionem a Thalete primum docet institutam: *Primus Thales divisit essentias rationales in Deum, in daemones, et heroes.*

V. Pulcherrima in hanc rem et Orphei carmina sunt apud Clementem Alexandrinum, in quibus Angeli memorantur:

Throno tuo ignito adstant laboriosi
Angeli, quibus curae est quemadmodum
Ab hominibus omnia peragantur.

Phocylidis quoque versus apud ipsum Clementem habes *Stromat. Lib. V.* in quibus daemones alios bonos, alios esse malos ostendit:

Daemonibus non una viris natura nocendi est;
Sunt etenim longe venientia, qui mala pellunt.

Menandri praeterea, et Empedoclis testimonia de daemonibus ex Plutarcho accepimus

in libello de animi tranquillitate, de quibus idem consulendus Clemens.

VI. Plato autem quam multa de daemonibus habeat, quos per elementa distributos, hominum, et animantium opifices putat, nemo ignorare potest, qui eius Dialogos, et Timaeum praesertim, vel cursim versaverit. Dignissimus autem omnium locus est in *Symposio*, ubi Plato sub Diotimae persona daemones secernit a Diis, et homines inter, et Deum medios illos constituit, quorum officium ait esse, ut tamquam interpretes, et sequestres, humanas res ad Deos; divinas ad homines transmittant; nimirum preces hominum, et sacrificia Diis offerant, ac Deorum vicissim mandata, et pietatis praemia ad homines reportent. Neque enim misceri per sese cum hominibus Deum; sed per intermedios daemones amborum commercium omne perfici.

VII. Ammonius etiam in *comment. ad Lib. Gategor. Aristot.* Angelos a Platone innuit expressos: *Interrogante Timaeum Socrate, quid est Deus: ait ille: quid non sit, equidem scio: quid autem sit nescio. Nam non esse corpus, neque colorem, neque Angelum, nec eiusmodi quidpiam, sed his omnibus praestare novi: quid autem sit, ignoro?* Haec sane Ammonius, sed nisi maxime fal-

lor, non Angelorum usurpatur nomen a Platone, sed daemonum. Δαιμονας autem i. e. *scientes* constat quidem et Platoni, et Ethnicis omnibus eos dictos, qui nobis Angeli audiunt: Revera Augustinus *Lib. IX. de Civit. Dei cap. XIX. Labeonem, aliosque perhibere*, inquit, *ab aliis Angelos dici, quos ipsi daemones nuncupant. Nos autem*, subdit, *sicut Scriptura loquitur, secundum quam Christiani sumus, Angelos quidem partim bonos, partim malos, numquam vero bonos daemones legimus.* Quod ipsum Lactantius, Minucius Felix, et Cyprianus adposite confirmant.

VIII. Ex tanto autem Sapientum Ethnicorum cum Christianis consensu id efficitur, rem esse confessam, ac paene ipsa naturali ratione cognitam, Angelos esse in rerum natura: qui etsi oculis minime videntur, usu tamen, et officio sentiuntur. Vnde Tertullianus diserte argumentatur in *Apologet. cap. XXII. Dicimus esse substantias quasdam spirituales, nec nomen novum est. Sciunt daemones Philosophi . . . daemones sciunt Poetae . . Angelos quoque etiam Plato non negavit: utriusque nominis testes esse, vel Magi adserunt.*

IX. Id autem unde Ethnici potius hause-

runt, quam ex sacris Bibliorum fontibus? Memini rem iterum iterumque supra evicisse, ut pigeat nunc crambem recoquere. Mirum proinde, quod inter Judaeos, in electo nimirum Dei populo fuerint, qui in Divinis rebus multo saperent minus, quam externi, et gentiles. Multoque intolerabilius, quod quum Pentateuchum tamquam Deo inspirante a Mose conscriptum recepissent Sadducaei, ut Hieronymus testatur *Comment. in S Matth. cap. XXII.* tamen adeo in Mosaicis libris caecutiverint, ut id videre non potuerint, quod ibi Ethnici viderunt? Sane *Genes. XVI.*, *et XXI.* Angelus Agar adparuisse in deserto dicitur. Et ibidem *XIX.* duos Angelos Lothum ab excidio Sodomae liberasse narratur. Item *cap. XXIV.* Abraham ad famulum, quem in Mesopotamiam mittebat, inquit: DOMINUS CAELI MITTET ANGELUM SUUM CORAM TE. Et *cap. XXVIII.* VIDIT JACOB SCALAM, ET ANGELOS DESCENDENTES, ET ASCENDENTES PER EAM. Porro infinitus essem, si omnia Pentateuchi testimonia huc transferrem, in quibus Angelorum mentio intercidit.

X. Risu potius autem, quam confutatione digna Sadducaeorum exceptio videtur, qua Angelorum nomine cogitationes a Deo men-

tibus hominum immissas interpretantur. At quas, quaeso, cogitationes conlatas ante paradisum voluptatis dicemus, quum legimus *Genes. cap. III.* COLLOCAVIT DOMINUS ANTE PARADISUM VOLUPTATIS CHERUBIM AD CUSTODIENDAM VIAM LIGNI VITAE. Ecquis autem insanas Sadducaeorum cogitationes in stultis hisce interpretationibus non deprehendet?

XI. Poterant praeterea Sadducaei veritatem et ex Propheticis libris addiscere, quos pro Divinis habuisse, Rabbi Manasse ben-Israel *Lib. I. cap. VI.* testatur: *Neque tamen Sadducaei derogabant fidem Prophetis.* An vero tot tantaque testimonia mentes oculosque eorum fugerunt? Fugerunt? viderunt utique, *sed* (ut idem Rabbi subdit) *loca Prophetarum in alium longe sensum interpretabantur.* Quid autem, Sadducaeis missis, de innumeris Angelorum adparitionibus, operationibusque dicam, quae in Novo Foedere describuntur? Quid de beneficiis a Deo in homines Angelorum ministerio conlatis? Sed invictus et omnino peremptorius est Apostoli locus in *Epist. ad Hebr. I.* ubi comparatione Christum inter et Angelos instituta, quantum Christus fuerit Angelis praelatus ostendit, unde Divinitatis Christi argumentum e

vestigio conficit. Quod vanum, absurdumque esset, si Angeli non existerent. Mox ibidem advertit, filium Dei non Angelicam, sed humanam naturam adsumere voluisse, ex quo Angelos, non minus quam homines, existere patet.

XII. Piget autem in tanta veritate confirmanda fidem Graecorum, Latinorumque Patrum interpellare, quorum libri plenissimi huiusmodi testimoniis sunt, sic ut Augustinus Angelorum existentiam non dubitarit inter fidei dogmata recensere. Ait enim *Serm. I. in Ps. CII. Quamvis non videamus adparitionem Angelorum . . tamen esse Angelos novimus ex fide, et multis adparuisse scriptum legimus, et tenemus, nec inde dubitare fas nobis est.* Vnde posthac expresse definitum in Concilio Lateranensi IV. (sub Innocentio III. P. M. an. MCCXV. *Cap.* firmiter) *unum esse Vniversorum Principium, creatorem omnium visibilium, et invisibilium, spiritualium,* et *corporalium qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam spiritualem, et corporalem, angelicam videlicet, et mundanam.*

XIII. Sed qui factum, ut quum Moses tam adcurate Dei opera in I. Geneseos descripse-

rit, Angelorum tamen creationem omnino siluerit? Sane Chrysostomus *Hom. II. in Genes.* vel ideo Angelos ibi praetermissos censet. quod Moses rudi populo, Judaeis potissimum loquebatur, qui praesentibus rebus inhiabant, neque intelligibile quidquam imaginatione capere poterant. Quibus si fuisset expressum, aliquas res esse super omnem naturam corpoream, fuisset eis occasio idololatriae, ad quam proni erant, et a qua Moses eos praecipue revocare intendebat. Idem disertis verbis suadet Augustinus *Lib. X. de Civ. Dei cap. IX. et Lib. I. de Genes. ad litter.* nec non Severianus Gabalitanus *Hom. I. de mundi opificio.* Ego autem in Basilii sententiam libens discedo, quam omnium verissimam arbitror. Ait enim *Lib. de Sp. S. cap. XVI.* Mosem non omnium rerum procreationem, sed aspectabilium dumtaxat, et corporearum scribere instituisse, proindeque principium narrationis suae fecisse a principio, quod ad tempus pertinet sensibilium rerum sive solius corporei mundi. De Angelorum autem ortu tacuit omnino, quem tamen ignorari a nobis, neque Mosis, neque alii Scripturarum libri patiuntur. Apertissime enim Angelorum creatio in Cantico trium puerorum *Danielis III.* expressa est, ubi postquam

dictum : BENEDICITE OMNIA OPERA DOMINI DOMINO, subditur: BENEDICITE ANGELI DOMINI DOMINO, ut Angelos opera Domini intelligas. Sic et in *Ps. CII.* et evidentissime tandem in Apostoli effato *ad Colossens. I.* 16. IN IPSO (Verbo) CONDITA SUNT UNIVERSA IN CAELIS ET IN TERRA, VISIBILIA, ET INVISIBILIA. SIVE THRONI, SIVE DOMINATIONES, SIVE PRINCIPATUS, SIVE POTESTATES.

XIV. Quamvis autem de Angelorum conditore nullus sit dubitandi locus, celebris est tamen, et omnium antiquissima quaestio; quandonam Angeli creati fuerint, antene res omnes adspectabiles; totumque illud opificium, quod initio Geneseos traditur, an post Caelum terramque conditam? Versantur in ea duae veterum opiniones; quidam enim, iique antiquissimi Patres, Graeci potissimum, et ex Latinis plurimi ante hanc rerum universitatem conditos eos esse censent, alii post Caelum, et in Caelo ipso.

XV. In priori classe censetur Origenes, qui cum alibi, tum adposite *Hom. X. in Matth.* rem adstruit Jobi testimonio *Cap. XXXVII.* apud quem, *quando factae sunt stellae, laudaverunt Deum omnes Angeli eius, quasi antiquiores non solum homine*

post creato, sed et omni creatura propter eum creata. In hanc ipsam sententiam discesserunt Basilius *Hom. I. in Hesaëmeron*; Gregorius Nazianzenus *Orat. XXXVIII. de Natal. Chr.* Chrysostomus *Hom. II.* qui et Jobi locum adducit: *audi quid dicat is, qui cum Job loquebatur*: *Quando facta sunt astra laudaverunt me Angeli mei voce magna.* Quibus subscripserunt Damascenus *Lib. II. Cap. III.* Zacharias Mitylenus *Lib. de Mund. Opific.* Dionysius Areopagita *Lib. de Div. Nom. Cap. V.* Severianus Gabalitanus *Orat. IV. de Mund. Opific.* qui et Jobi locum, cuius saepe meminimus, profert. Caesarius item. *Dial. I. Inter. LXI.* et Anastasius Sinaita *Lib. VI. Hesaëmer.* Etiam Latinos, qui numquam a Graecis discedunt, in hanc opinionem conspirantes habemus. In primis Ambrosium *Lib. I. Hesaëmer. cap. V.* Hilarium. *Lib. XII.*

XVI. In alia omnia tamen, post haec nimirum universitatis molem conditos esse Angelos quidam ex Graecis, et plures item ex Latinis Patribus iverunt. Inter Graecos diserte id Epiphanius docuit *Haeres. LXV.* Theodorus Mopsuestenus *Lib. I. in Genes.* Theodoretus Mopsuesteni discipulus *Quaest. III. et seq.* ubi Apostoli loco adducto ad

Hebr. I. *NONNE OMNES ADMINISTRATORII SUNT SPIRITUS*, ait, *quo ministerio fungebantur Angeli, qui creationem praecebant, quum nullus esset qui indigeret, aut adiuvaretur eorum opera?* Idem sensit Basilius Seleuciensis *Orat. I.* Ex Latinis vero multi supersunt, sed horum magna pars Augustinum sequuti videntur, qui Angelos lucis nomine comprehendi putat *Lib. XI. de Civ. Dei cap. XIX.* in quam sententiam Rupertus scripsit *Lib. I. de Trin. cap.* X. Junilius Africanus *Lib. II. cap. II.* et alii quamplures.

XVII. Hae quum duae sint, et contrariae opiniones, utraque tamen, salvá fide, tueri potest. Nec enim definitum quidquam hac de re ab Ecclesia, quum neque ex Scripturarum auctoritate, neque ex traditione, neque ex alio idoneo loco constare possit, utra sit verior sententia. Re quidem vera Augustinus in *Lib. de Gen. ad lit. cap. III.* dubius haeret, et in utramque disputat partem. Et *Lib. XI. de Civ. Dei cap. XXXII.* rem iterum in dubitationem adducit, facultatemque quidlibet sentiendi cuique facit, modo creatos a Deo constet Angelos.

XVIII. Nec autem praetereundus heic S. Thomas, qui nescio quomodo iam ex mente

exciderat. Is *I. P. Quaest. LXI. art.* 3. tametsi Angelos post hanc universitatis molem creatos tenet, e vestigio subdit tamen:» contrarium non esse reputandum erroneum, » praecipue propter sententiam Gregorii Nazianzeni, cuius tanta est in doctrina Christiana auctoritas, ut nullus umquam eius » dictis calumniam inferre praesumpserit, sicut nec Athanasii documentis, ut Hieronymus dicit ».

CAPUT II.

ANGELI MERI SUNT SPIRITUS, ET CORPORIS EXPERTES. GRAECORUM, LATINORUMQUE PATRUM SENTENTIAE EXPENDUNTUR, INTERPRETANTUR, ET ILLUSTRANTUR.

I. SPiritus esse Angelos, et ab omni materiae concretione liberos, neminem, cui sanum erit ingenium, umquam arbitror inficiaturum. Tanta enim veritas Scripturarum auctoritati, proprio nimirum, et solidissimo fundamento innititur. Nam in *Psalmo CIII.* aperte dicitur : QUI FACIT ANGELOS SUOS SPIRITUS. Et Apostolus ad Hebraeos scri-

bens *I.* 14. NONNE OMNES SUNT ADMINISTRATORII SPIRITUS? et ad Ephesios *VI.* 12. idem de malis Angelis habetur: NON EST NOBIS COLLUCTATIO ADVERSUS CARNEM; ET SANGUINEM, SED CONTRA SPIRITUALIA NEQUITIAE, IN CAELESTIBUS. Vnde et in Evangelio saepe *spiritus nequam*, et *immundi spiritus*, vel absolute *spiritus* adpellantur.

II. Estque ad id probandum Richardi Victorini aptissimum argumentum *Lib. IV. de Trinit.* ex *Cap. VIII.* Evangelii S. Lucae desumptum, quod ipsissimis verbis proferam: » Si tot ab uno homine eiecti sunt, tot in eo ante eiectionem fuerunt. Si daemones corpora habent, ubi quaeso in eo fuere? In spiritu, an in corpore? Constat autem, quia omne corpus longitudinem, latitudinem, altitudinem, locales videlicet dimensiones habet, et eo ipso sine locali capacitate subsistere non valet; qualem quidem spiritus omnino non habet. Ergo non in spiritu, sed in corpore fuerunt. Sed quomodo, vel in qua hominis parte tot corpora esse potuerunt? Sed dicis fortassis, quod Angelici spiritus tam boni, quam mali subtilia corpora habent. Sed quantumcumque subtilia duo eiusdem praesertim quantitatis corpora, unum eumdemque locum

occupare non valent. Cuius ergo quaeso exiguitatis putás Angelicum corpus esse, si credas vel solam hominis pellem corpori detractam tot Angelica corpora posse comprehendere? »

III. Id autem et ex auctoritate Patrum constat, quorum potissima pars expresse Angelos incorporeos esse docent. Inter primos Ignatium habemus, qui in *Epist. ad Trallianos* ασωματους φυσεις *incorporeas naturas* Angelos adpellat. Tum Basilius *Homil. IX. quod Deus non sit auctor mali*, de daemone scribit: *natura eius incorporea est, secundum Apostolum dicentem, non est nobis colluctatio adversus spiritualia nequitiae.* Eodem modo S. eius frater Gregorius Nyssenus *Lib. XII. contr. Eunom.* Angelos ασωματον κτισιν *incorpoream naturam* dicit. Quin ibidem non tantum το 'νοερον *intelligibile* Angelis tribuit, sed et το αυλον i. e. *expers materiae*, quod multo aptius, expressiusque est ad meri significationem spiritus, quam το ασωματον. Alibi praeterea Angelorum naturam νοητην κτισιν *intelligibilem naturam* adpellat: *Intelligibilis* (subdit autem) *natura incorporeum quiddam est, quod neque tangi potest, et forma caret.*

IV. Ab his non abludit Gregorius Nazianzenus, qui simplices, et intelligentes Ange-

los vocat, cum alibi, tum in *Carm. I. de Virginit.*

- Απλοι τε, νοεροι τε, διαυγεες

Simplicesque, et intelligentes, pellucidi. Expressiora autem sunt ea, in quibus νοες i. e. *mentes* a Gregorio, sive ut latini vocare consueverunt, *intelligentiae* nuncupantur, quemadmodum in cit. carmine:

Angeli splendentes, invisibiles, qui solium
Circum magnum consistunt: quandoquidem mente sunt leves.

Eamdem porro vocem et Dionysius Areopagita usurpat *Lib. de Caelest. Hierarch. cap.* 1: in quem locum dignus qui audiatur Maximus interpres: *Noas.* i. e. *mentes adpellant etiam Graecorum philosophi intelligentes, sive Angelicas virtutes: quoniam ex toto mens est quilibet ipsorum: ac totam substantiam in formam suam veluti substantiam habet mentem viventem.*

V. Idem sensit Ioan. Chrysostomus, a quo millies ασωματοι praedicantur Angeli, potissimum vero *Hom. XXII. in Gen.* et *Lib. I. ad Stagirium*: *fecit Angelos, et Archangelos, ac reliquas incorporeorum substantias.* Consentit Eusebius Caesariensis in *Demostrat. Evang. Cap.* 1. qui *Angelos et Archangelos,*

materia carentes, *et puros omnino Spiritus* fatetur. Nec non Theodoretus, a quo *Quaest. XX. in Gen.* Angeli, et Archangeli dicuntur *incorporeae sanctaeque naturae*, *utpote corporibus vacuae*, *et sine ulla mistione minime adspectabiles*. De Joanne Damasceno autem constat sententia, quippe Angelos definit substantiam intelligentem, materiae, atque corporis expertem.

VI. Quid autem Latinos memorem Patres, qui expressissime de incorporea Angelorum natura loquuti sunt? Praesto est Marii Victorini insignis locus ex *Lib. IV. adversus Arium*, ubi *Angelos*, *Archangelos*, *Thronos*, *Glorias*, *ceteraque quae supra mundum sunt*, *incorporea*, *atque* αυλα dicit. Idem disertis verbis Lactantius tradit *Lib. VII. cap. XXI.* Sed ut paucis rem conficiam, Latinorum omnium duo instar sint, S. Gregorius Magnus, et S. Fulgentius, quorum ille *Lib. IV. Moralium cap. XIX.* Angelos hominibus opponens: *Angelus*, ait, *solummodo spiritus*, *homo vero spiritus*, *et caro*. Fulgentius autem *Lib. de fide ad Petrum*: *Angelos*, inquit, *esse spiritus*, *nullum cum corporeis elementis habentes naturale consortium*.

VII. Atque his omnibus demum auctorita-

tis pondus accedit ex Concilio IV. Lateranensi, quo definitum est, *utramque creaturam spiritualem, Angelicam scilicet, et mundanam fuisse a Deo conditam*. Quam sententiam iam nunc adeo omnes ad unum propugnant theologi, ut contrariam, qua vel mere corporei, vel corporibus illigati spiritus dicuntur Angeli, nisi prorsus haereticam, temerariam certe, et haeresi proximam esse censeant. Quo minus enim haeresis omnino dicatur, id unum facit, quod non dum liquido ab Ecclesia ea res definita sit. Concilii enim Lateranensis mens non alia fuit in eo decreto, quam Manichaeorum grassantem haeresim reprimere, quae unum Deum rerum omnium negabat auctorem.

VIII. Non inficior tamen, plerosque veterum Patrum vel corpora Angelis adfixisse, vel id loquendi genus usurpasse, quod ex Platonica philosophia derivatum videtur (2).

(2) Priscorum plerique Patrum constare corporibus Angelos arbitrati sunt, sed sui quidem generis, aethereis nimirum ac subtilibus. Enimvero Origenes *Lib. I. Periarch. cap. VII. Necesse est*, ait, *rationales naturas coniunctas esse corporibus*. Basilius etiam *Lib. III. de Sp. S. cap. XVI.* corpora Angelis tribuere videtur: *Substantia quidem caelestium virtutum spiritus puta est aërius, aut*

Sed porro compertissimum est, et apud omnes confessum, non satis constare quid no-

---

ignis expers materiae, *secundum id quod scriptum est*: *qui facit Angelos suos Spiritus*, *et ministros suos ignem urentem. Ideo et in loco sunt*, *et fiunt aspectabiles*, *in specie propriorum corporum iis*, *qui digni sunt*, *apparentes*. Quomodo autem corpora usurpaverit, *ex Lib. IV. adv. Eunom*. licet intelligere, ubi Angelorum naturam ἀσώματον, καὶ λογικὴν id est *corpore carentem*, *et ratione praeditam* adpellat. In eumdem sensum scripsit Cyrillus Alexandrinus, Ephraem Syrus, et Severianus Gabalitanus. Hic autem in Hom. IV. haec habet. *Quid est homo? nonne terra*, *et a terra? nonne pulvis tantum*, *ac cinis? Quid sunt Angeli nonne spiritus? nonne ignis?* mox subdit: *Quum igneae naturae*, *intellectu praeditos*, *et incorporeos faceret Angelos*, *consiliario nihil opus habuit*. Quod ipsum et Caesarius *Dial.* I. *Inter. XLVII.* expresse docet: *Incorporei quidem Angeli sunt secundum nos*, *corpus vero secundum se se*: *quemadmodum ventus*, *aut ignis*, *aut fumus*, *aut aër*: *sunt enim tenuia*, *et immaterialia corpora*, *ab nostra crassitudine secreta. Quippe corpora caelestia*, *et corpora terrestria dicit S. Apostolus*. Ab his aliena non senserunt nonnulli latini Patres, Tertullianus in primis, qui *Lib. de Carn. Ch. cap. VI.* Angelis corpora tribuit, sui tamen generis: *Constat*, ait, *Angelos carnem non propriam gestasse*, *utpute naturae substantiae spiritualis*: *et*

mine corporis antiqui Patres intellexerint. Quidam enim videntur id corporeum dixisse, quod loco definitur, et in eo movetur: Vnde Hilarius *Orat. I.* inquit: *omne quidquid est, corporeum est, quia in aliquo sit loco necesse est.* Proindeque *Lib. II. de Trinit.* Spiritum ex immensitate descripsit: *Spiritus nec circumscribitur, nec tenetur, quia per naturae suae virtutem ubique est, neque usquam abest in omnibus exuberans.* Atque hac ipsa ductus ratione Cassianus in *Collat. XIII.* solum Deum incorporeum esse tradit, *quia est ubique, et omnia penetrat.* Quo quidem sensu quisquis Angelos corporeos putabit, nostra sententia non aberit.

IX. Nonnullorum etiam Patrum ea mens fuit, quum Angelis corpora tribuerint, ut eos non omnino simplices autumaverint, sed

---

si corporis alicuius, sui tamen generis; in carnem autem humanam transfigurabiles ad tempus, ut videri, et congredi cum hominibus possent. Hilarium etiam, et Ambrosium huc adducere possem, nisi longum esset. Verum Ambrosius aperte clamat in *Cap. XII. Lucae*: *Angelorum natura divinior, expers manet iniuriae corporalis.* Haec autem vel ideo aduotasse praestat, ut quo sensu corpora Angelis antiqui Patres tribuerint, ex ipso eorum sermone clarius intelligas.

qualitatibus adfectos; proindeque solum Deum incorporeum esse dixerunt, cetera vero, quamvis corpore materiaque careant, et nobiscum comparata, incorporea sint, corporea tamen esse, si cum Deo conferantur. Quam sane interpretationem nobis adprime adferunt S. Gregorii Pontificis verba *Lib. I. Moral. cap. III.* ubi *Angelicos spiritus*, ait, *comparatione quidem nostrorum corporum spiritus esse, sed comparatione summi, et increati Spiritus esse corpus.* Atque idem sensisse Damascenum aperte quantum ex *Lib. II. de fide cap. III.* constat, ubi Angelos esse inquit *substantias intelligentes, materiae atque corporis expertes*, quibus e vestigio addit: *eosdem Deo comparatos materiales, et corporeos esse habendos, sola quippe Divina natura, materia, et corpore vacat.* Ex quibus profecto liquet, Patres non eam corporis et spiritus vim, et significationem semper expressisse, quam fert communis usus.

X. Quo minus autem in hanc classem adscribam Augustinum, qui nobis in rebus Theologicis multorum instar esse debet, me prope impediunt ea quae habet in *Epist. CLXXIV.* *Nam hoc nomen, quod spiritus dicitur, non secundum id, quod refertur ad aliquid: sed secundum id quod aliqua natura significatur,*

omnis incorporea natura spiritus in Scripturis appellatur. Unde non tantum Patri, et Filio, et Spiritui Sancto; sed omni rationali creaturae et animae hoc vocabulum congruit. Mox hinc in exemplum adfert *Psalmi CIII.* illud: QUI FACIT ANGELOS SUOS SPIRITUS. Ex quibus sane concludet quisquis, perinde incorporeos esse Angelos, ac animas, quoniam utrique spiritus adpellantur. Porro animas meros esse spiritus expressissime docet Augustinus, cum *Lib. II. de Trinit. cap. XVIII.* tum alibi disertissime.

XI. Quum autem ita loquutus videatur Augustinus, ut Angelos incorporeos existimasse credamus, de eorum tamen materia_ea scribit *Lib. VII. cap. VI. de Genes. ad litter.* ut aliquam ipsis tribuisse videri possit. Tametsi vero de animae materia ibi loquatur, ex qua putat conditam animae substantiam, secus enim mutabilitas illius ad vitia, virtutesque consistere non posset, tamen eadem Angelis facile quisque adcommodabit, quemadmodum de Boethio constat, qui *Lib. de Unitate et Uno* multiplicitatem a sola materia etiam in ipsis intelligentiis ortam fatetur, cui nonnemo subscripsit.

XII. Ego vero rem hanc ambiguitate potius verborum, quam difficultate ulla labora-

re arbitror. Nam praeter substantiam extensam, quae corpus dicitur, quisquis materiam aliam statuit, is profecto, vel quae adserit, non intelligit, vel aliis non intelligenda proponit. Qui enim substantiam cogitat, vel illam dimensam, vel dimensionibus absolutam, et spoliatam cogitat, quarum quidem illa corpus est, haec vero Spiritus, et mens. Quum autem omnem corporis molem a substantia Angelorum eliminaverimus, omnino oportet, ut eos prorsus materiae expertes agnoscamus.

XIII. Non autem latet, metaphysicam quamdam admitti materiam, quae genus est, eamque spiritualibus substantiis, suffragante Platonicorum schola convenire. Enimvero, ut philosophatur Maximus Dionysii interpres in *Cap. V. de divinis Nom. sicut in nobis primum producta est materia, ex qua sumus, sic in mentibus corpore carentibus, instar materiae intelligitur ea, quae est uniuscuiusque per vitam forma, et per quam substantiatum est ad vitam, et sapientiam, et similitudinem.* Arbitatur autem *invisibiles, et supremas mentes primum extantiae fuisse participes, ac deinde vitae, et sapientiae.* Hanc porro generis, seu metaphysicae materiae rationem quisquis arcere vellet ab Angelis, is procul dubio pares illos Divinae simplicitati,

ac perfectioni efficeret, quod ferendum non est. Augustinus enim *Lib. II. de Civit. Dei cap. X.* Divinam explicans simplicitatem, inquit, *sed ideo simplex, quia quod habet, hoc est; nam si quid in Deo conciperetur, quod Deus non esset, Deus utique ex eo constaret, et aliquid imperfectum in eo conciperetur.* Atque hinc necesse est, ut, quidquid in Deo cogitatur, indeterminatum, incircumscriptum, infinitum concipiatur. Quum autem ab hac simplicitate, infinitateque perfectionis procul absint Angeli, oportet ut aliquid in eis concipiatur, quod sua ratione non sit Angelus, veluti esse, et vivere, quae et aliis etiam communia sunt. Quae quidem quisquis materiam dixerit, is ab usurpata philosophorum consuetudine non recedet.

CAPUT III.

ANGELORUM IMMORTALITAS VINDICATUR. PATRUM DICTA EXPLICANTUR, ET ILLUSTRANTUR.

I. Proximum est, ut ad Angelorum immortalitatem sermo noster vertatur. Qua de re si Scripturas, rationemque consulamus, nemo adeo perfrictae erit frontis, ut Angelos omnes sive bonos, sive malos perpetuo neget duraturos. Scriptum est enim in Epistola Judae *v.* 6. malos Angelos IN JUDICIUM MAGNI DIEI VINCULIS AETERNIS SUB CALIGINE RESERVARI. Et Christus Dominus *Matth. XXV.* 41. in ultima die reprobos adloquuturus: *Discedite*, inquiet, MALEDICTI IN IGNEM AETERNUM, QUI PARATUS EST DIABOLO, ET ANGELIS EJUS. Quod si mali Angeli perpetuo durabunt, durabunt multo magis boni, qui ad Regnum Dei pertinent, quod IMMOBILE ab Apostolo *ad Hebr. XII.* adpellatur. Quid quod expressissime id ex Lucae testimonio patet *Cap. XX.* ubi habetur, homines iustos quum resurrexerint, mori nullatenus posse, et esse AN-

GELIS AEQUALES, ut si Angelorum praerogativa ea esset, quod intermori nequeant.

II. Immortalitas autem, quam in Angelorum natura vindicandam suscipimus, est substantiae incorruptibilitas, quae nullum in se habeat corruptionis principium, quaeque ut semper duret, vel ipsae postulant leges, quas Deum pro sua immutabilitate numquam invertere certo scimus. Rerum enim corruptibilium vicissitudines inde emanant, quod in seipsis habeant corruptionis caussas et fontem, partium nimirum coagmentationem; quae ex Divinae voluntatis legibus, quum a se invicem dividi, diversis motibus cieri, atque alias, et alias disponi possint, alias ex aliis nasci necesse est, in quo divinarum legum immutabilitas maxime commendatur.

III. Eiusmodi autem esse Angelorum substantiam, vel eodem argumento evincere facile est, quo Maximus Martyr ad animae immortalitatem vindicandam usus est in libro Περι ψυχης: *Omne*, inquit, *quod corrumpitur, dissolubile est; quod autem dissolubile est, plures habet partes; quod autem ex partibus componitur, nimirum diversis iis constat. Jam quod diversum est, non est idem. Quamobrem anima quum sit simplex, neque ex differentibus constet partibus, non*

est composita , neque dissolubilis , ideoque corruptionis erit expers , et immortalis. Quod multo magis de Angelis adseverandum est, qui excellentiore constant natura. Et sane in hunc sensum acute disserentem producerem Thomam in *Lib. II. contr. Gent. cap. IV.* nisi Maximi locus me nunc moneret, ut alterum eiusdem adferrem argumentum in *Scholiis ad Cap. III. Dionysii de Div. Nom.* ubi ex Angelorum invisibilitate, eorum arguit immortalitatem, Apostoli certe fretus auctoritati *II. ad Corinth.* 4. QUAE VIDENTUR, TEMPORALIA SUNT, QUAE AUTEM NON VIDENTUR, AETERNA.

IV. Haec quum ita se habeant, mirabitur fortasse nonnemo, nobisque opponat, quod Angeli saepe a Patribus mortales dicantur. Sed universum negotium in vocabuli dumtaxat acceptione positum est. Quidam enim pro *mortali* id usurpaverunt, quod est mutationibus obnoxium. Unde Augustinus *Epist. XXXVIII.* docet animam non esse omnino immortalem, sicut Deus, de quo dictum est (*Ep.* 1. *ad Tim. VI.* 16.) QUI SOLUS HABET IMMORTALITATEM. Et iterum *Lib. II. de Trinit.* inquit: *in ipsa sua substantia quidquid alio modo nunc est, aut fuit, secundum id, quod destitit esse, quod erat;*

mortale deprehenditur. Atque hoc sensu mortales esse Angelos et nos fatemur; quod mutabiles sunt, solusque Deus habeat immortalitatem.

V. *Mortale* acceperunt alii, quod Divina saltem voluntate in nihilum redigi possit; nam ut Epiphanius ait *Haer.* LXXVI. *Quidquid habet principium, finem etiam habebit, si ei libuerit, qui ei, quod initium accepit, ut esset, tribuit.* Tum vero et *mortale* dixerunt, quod etsi aeternum duret, id tamen non suo iure habet, sed alieno beneficio. Quo sane pacto mortales nos etiam dicimus Angelos. Unde Dionysius quum Angelos *semper viventes, et immortales* adserat: mox *mortales* adpellat, *eo quod a seipsis non habent, ut sint immortales, et in aeternum vivant.* Quod pluribus persequitur Cyrillus Alexandrinus *Thes. Lib. XX.* concludit autem: *Angelus immortalis est quidem, sed non Deo.* Et Hilarius in *Ps. CXLVIII.* cuius verbis finem sermoni imponemus: *Praeceptum posuit et non praeteribit, et mandati eius non erit finis, quia in aeternum manent, quibus aeternitatem virtus aeternitatis indulsit.*

CAPUT IV.

CUIUSMODI SIT ANGELORUM COGNITIO, BREVITER EXPLICATUR.

I. Quum Angeli meri sint spiritus, intellectu, et voluntate eos praeditos credamus oportet. Hinc Graeci patres *νοας mentes*, *vel intelligentias*, et *νοερα πνευματα spiritus intelligentes* adpellarunt Angelos. Nec vero multum nobis in eo evincendo laborandum est, esse in Angelis intelligentiam, cognitionemque mentis propriam, quum innumera huiusmodi exempla ac testimonia in Sacris Litteris pateant, et vel ipsa persuadeat Angelicae naturae dignitas, quae longe praestantiorem quam quae in homine est, vim postulat cognoscendi.

II. Cuiusmodi autem Angelorum cognitio sit, neque verbis certe explicare, neque cogitando adsequi valemus. Augustinus duplicem eorum cognitionem facit; quarum altera a Deo illis indita est, per quam productas res in ipso creatore, ac productore Deo, hoc est in Verbo contuentur, *in quo sunt omnium, etiam quae temporaliter facta sunt*,

aeternae rationes , tamquam in eo , per quod facta sunt omnia ; alteram vero sumunt ex rebus ipsis quas in se postea contemplantur; non quasi a rebus creatis ideas ac notiones Angeli accipiant , quod nonnisi stultus dixerit , sed in ideis sibi a Deo creatore inditis.

III. Nam ad Angelici intellectus perfectionem id adprime pertinet , quod non successive opus habeat per adquisitas species sibi cognitionem comparare , sed universam suam cognitionem ab initio habuerit per species rerum infusas: Quo facit Ezechielis illud *XXVIII.* 14. TU CHERUB EXTENTUS, ET PROTEGENS ET POSUI TE IN MONTE SANCTO DEI PERFECTUS IN VIIS TUIS A DIE CONDITIONIS TUAE. Quam rem pluribus Augustinus confirmat *Lib. II. de Gen. ad litt. cap. VIII.* et Angelicus Thomas , qui *Quaest. LV. art.* 2. de Angelis inquit: ***Suam perfectionem intelligibilem consequuntur per intelligibilem effluxum*** , ***quo a Deo species rerum cognitarum acceperunt simul cum intellectuali natura.***

IV. Ex quo fit , ut Angeli neque *componendo* , et *dividendo* , neque etiam *discurrendo* , obiecta cognoscant. Quoad primum enim, quum Angelorum cognitio simplex sit , nulla in ea dari potest sive compositio , sive divi-

sio, cuiusmodi est in nostra cognitione. Contingit enim id in nobis (verbis utor Angelici Thomae) ex debilitate luminis intellectualis, quia non statim in prima adprehensione alicuius primi adprehensi potest inspicere quidquid in eo continetur. In Angelis autem quum sit lumen intellectuale perfectum, quum sit speculum purum, et clarissimum, ut inquit Dionysius, sequitur ut Angelus, sicut non intelligit ratiocinando, ita non intelligat componendo, et dividendo.

V. Quod autem nec discurrendo Angeli cognoscant, diserte Sanctus idem Thomas disputat *Quaest. LVIII. art.* 3. quem audire non pigeat : *Intellectus hominum per quemdam motum et discursum intellectualis operationis perfectionem in cognitione veritatis adipiscuntur, dum scilicet ex uno cognito in aliud cognitum procedunt. Si autem statim in ipsa cognitione principii noti inspicerent quasi notas omnes conclusiones consequentes, in eis discursus locum non haberet. Et hoc est in Angelis, quia statim in illis, quae primo naturaliter cognoscunt, inspiciunt omnia, quaecumque in eis cognosci possunt.*

CAPUT V.

SUPERNATURALIA, QUAE INVESTIGARI NON POSSUNT, ANGELI, NISI DEO TRIBUENTE, IGNORANT. MULTO MAGIS EA DAEMONIBUS ABSCONDITA.

I. Quae naturae conditionem poenitus exsuperant, naturae vi Angelos noscere non posse, certum est. De his autem tantum intelligendo adsequuntur, quantum illis significaverit Deus, qui nec omnia, nec eodem tempore scire ista concessit. Quod de iis dictum volo, non quae Deo insunt, et cum eius natura necessario coniuncta sunt, quae ubi Deum videre coeperunt, clare Angeli omnes contuiti sunt, sed de iis quae extra se Deus producit, ac libere.

II. Atque huc fortasse spectat, quod Incarnationis Mysterium eiusque fructus, et conlata hominibus beneficia Angelos ignorasse, ac demum per Ecclesiam didicisse nonnulli senserint Patres. Chrysostomus enim *Hom. IV. de Incomprehens. Vide*, inquit, *quantus honor humanae naturae est habitus, ut*

nobiscum, *et per nos caelestes Virtutes Regis arcana cognoverint.* Quod alibi iterum, iterumque insinuat. Nec diversa, ut alios praeteream, putavit Theodoretus in *Ps. XXIII.* ubi docet Angelos non vidisse Divinitatem in carne latentem, donec Christus in Caelum ascenderet, ad quod tempus illa Psalmi retulit verba: QUIS EST ISTE REX GLORIAE? quam profecto interrogationem, ex ignorantia, dubitationeque profectam in Angelis mysterium Dominicae incarnationis usque ad ascensionem nescientibus, putat Justinus, Ambrosius, et Hieronymus.

III. Quamvis autem magni Patrum horum habenda sit auctoritas, minime tamen hac in re iis adsentiendum puto. Mitto quod quae interrogandi, dubitandique specie ex illorum persona dicuntur, figurate in Sacris Litteris usurpatur, ut vel ipsarum beatarum mentium admirationem declarent; nam ut credamus, Angelos longe ante quam exsequeretur, Dominicam incarnationem scisse, Apostolus adprime suadet, qui *Ep. ad Hebr. I.* Patrem scribit Angelis suis adorandum proposuisse Filium, vel eo ipso momento, quo in carnis consortium inductus est. ET QUUM ITERUM INTRODUCIT PRIMOGENITUM IN ORBEM TERRAE DICIT: ET ADORENT

EUM OMNES ANGELI DEI. Accedit quod quum Prophetae Christum Deum hominemque venturum esse praedixerint, velut Isaias, Daniel, nonnisi per Angelos edocti sunt, qui caelestium vaticiniorum administri, atque interpretes fuerunt. Tum et illud accedit, quod *Luc. II.* 11. Christum natum Pastoribus annunciant, et festis vocibus praedicant: NATUS EST VOBIS HODIE SALVATOR, QUI EST CHRISTUS DOMINUS.

IV. Ignorasse autem daemones pleraque mysteria gratiae, potissimum quae ad Christi Divinitatem pertinent, multo exploratius est. Ne tamen plura de eadem re numerando lectores defatigemus, Patrum omnium instar, Augustinum profero *Lib. IX. de Civ. Dei*, qui *tantum*, inquit, *daemonibus innotuit*, *quantum iis terrendis innotescendum fuit*, *nimirum per temporalia quaedam suae virtutis effecta*, *et occultissima signa praesentiae*, *quae Angelicis sensibus etiam malignorum spirituum potius quam infirmitati hominum possent esse conspicua. Denique quando ea paululum supprimenda indicavit*, *et aliquanto altius latuit*, *dubitavit de illo daemonum princeps*, *eumque tentavit an Christus esset explorans*. Ita et Leo Magnus *Serm. II. de Passione*: » Saevienti, ait, diabolo praesentiam

suae maiestatis occuluit, et infirmitatem nostrae humanitatis obiecit »». At celebris est Beati Ignatii Martyris sententia apud Hieronymum *in Matth.* adserentis, eatenus Christum a desponsata conceptum, ut partus eius celaretur diabolo, dum eum putat non de Virgine, sed de uxore generatum.

CAPUT VI.

NEQUE ANGELI, NISI DEO REVELANTE, NEQUE DAEMONES FUTURA NOSCUNT. PLERAQUE DE DAEMONUM VATICINIIS SUBNECTUNTUR.

I. Futurorum praedictio adeo proprius Divinitatis character habita semper est, ut a Latinis summo iure Divinatio nuncupata sit. Unus enim Deus videt omnia in sua aeternitate, quae quum sit simplex, toti tempori adest, et ipsum concludit. Angelicus autem, et quisquis alius creatus intellectus, quum ab aeternitate Divina longe deficiat, unde sibi potius futurorum praesensionem arcesset?

SCHOLION. Quum Angeli sint spiritus finiti, quippe a Deo creati, intellectus eorum

licet humano sit praestantior, non tamen est infinitus, sed finitus, proindeque omni scientia ipsi minime gaudent. Quum autem infinito intellectu, sive omniscientia careant, facile patet, quod futura contingentia, nisi ex divina revelatione, noscere nequeant.

II. Ad tantam vindicandam veritatem non quidem philosophicis instructi rationibus, sed invictissimis Sacrarum litterarum, sanctorumque Patrum testimoniis accedimus armati. Apud Isaiam enim *XLI.* legimus: ANNUNCIATE QUAE VENTURA SUNT IN FUTURUM, ET SCIEMUS QUIA DII ESTIS VOS. Et *Cap. XIX. v.* 12. UBI NUNC SUNT SAPIENTES TUI? ANNUNTIENT TIBI, ET INDICENT QUID COGITAVERIT DOMINUS EXERCITUUM SUPER AEGYPTUM. Et *Cap. XLVI.* 9. EGO SUM DEUS . . . NEC EST SIMILIS MEI, ANNUNCIANS AB EXORDIO NOVISSIMUM, ET AB INITIO QUAE NECDUM FACTA SUNT. Et Daniel Nabuchodonosorem alloquens ait *Cap. II.* 27. MYSTERIUM, QUOD REX INTELLIGAT, SAPIENTES, MAGI, ARIOLI, ET ARUSPICES NEQUEUNT INDICARE REGI; SED EST DEUS IN COELO REVELANS MYSTERIA, QUI INDICAVIT TIBI, REX NABUCHODO-

NOSOR, QUAE VENTURA SUNT IN NOVISSIMIS TEMPORIBUS.

III. Sacras litteras invicte obsignant Patres. Tertullianus in primis *Apologet. Cap. XX. Testimonium divinitatis, veritas est divinationis*. Hilarius quoque *Lib. IX. de Trinit. Proprium Deo quid aliud est, quam cognitio futurorum?* Cyrillus autem *Lib. IV. in Jo: Nulli alii, quam uni ac soli naturali Deo futura nosse convenit*, Jo: Chrysostomus *Hom. XIX. in Jo: Hoc maxime opus Dei est, quod non possunt daemones imitari, etiamsi admodum contendant.*

IV. Atque id quam certum sit, vel ex eo abunde intelliget quisquis, quod non aliunde daemones existimationem Divinitatis captare studuerint, quam ex praedictione futurorum. Quomodo autem ista indagare et oraculis, vaticiniisque gentium incredulitati illudere potuerint, arduum non est explicare. Quaedam enim ipsi praesagiunt ex diuturna rerum praeteritarum experientia, non secus ac medici, qui in morbis curandis multa praevident, quae antehac experti sunt in aliis, vel sicut agricolae, vel etiam nautae, qui ex longo usu et multa praenunciant. Quod autem homines propter vitae brevitatem perfecte adsequi nequeunt, id daemones partim

subtiliori sensus acumine, partim ex longissima callidissimaque experientia propter vitae diuturnitatem facile adipiscuntur. Vnde quum rerum omnium naturas, hominumque propensiones, et indoles penitus calleant; quid ex iis sive singulis, sive invicem aptis, effici, atque oriri consueverit, vel coniiciunt, vel etiam intelligunt.

V. Futura etiam intelligere daemones possunt, vel Angelis bonis ea significantibus, vel Prophetis. Rem Augustinus adstruit *Lib. IV. de Trin. cap. XVII. Audiunt enim ista et aëreae potestates, sive Angelis ea nuntiantibus, sive hominibus; et tantum audiunt, quantum opus esse ille iudicat, cui subiecta sunt omnia.* Quod Tertullianus antehac adverterat *Apolog. cap. VI. dispositiones etiam Dei, et tunc Prophetis concionantibus exceperunt, et nunc lectionibus resonantibus carpunt. Ita et hinc sumentes quasdam temporum sortes, aemulantur divinitatem, dum furantur divinationem.*

VI. Quid quod ex pernicitate, qua per cuncta discurrunt, futura praescire daemones videntur. Quid enim facilius, quam quis de montis vertice, quum aliquem longe videat venientem, proxime in campo degentibus ante nuntiet? Pulcherrimus est Tertulliani

locus in hanc rem *Apolog. cap. XXII. Totus orbis locus illis unus est ; Quid ubi geratur , tam facile sciunt quam enunciant ; velocitas Divinitas creditur.* Antonius autem apud Athanasium in eius vita , exemplum adfert de Nili inundatione solemni : *Quum enim multas in Aethiopia viderint pluvias , e quibus fluvius intumescens ultra alveum affluere consuevit , praecurrentes ad Aegyptum nunciant amnis adventum.*

VII. Praeterea multa nefandi spiritus praescire videntur ex fraude , nam quod ipsi facturi sunt , interdum velut divinando , nunciant. Vnde Augustinus *Lib. II. de Gen. ad lit. cap. XVII. Laedunt primo , dehinc remedia praecipiunt , ad miraculum nova , sive contraria ; post quae desinunt laedere , et curasse creduntur.*

VIII. Tot modis miseros mortales illudit Satan , futurorum cognoscendorum illecebra delinitos. Quod si nec ex praeteritorum experientia, nec ex revelatione Angelorum, vel prophetarum , nec ex pernicitate , neque demum ex fraude quid extricare valet , ut sibi futurorum praescientiam vindicare queat ; tunc etiam vel ex ipsa ignoratione scit ignorantiam repellere. Responsorum enim ambiguitate fucum hominibus facere solet , et ea dicit ,

quae in utramvis partem congruere possunt, ut quemcumque res exitum sortitura sit, eam praedixisse videatur. Vnde Tertullianus *Apol. cap. XXII. In oraculis quo ingenio ambiguitates temperent in eventus, sciunt Croesi, sciunt Pyrrhi.* Notissimum enim est illud Pyrrhi Regis Epirotarum: *Aio te Aeacida Romanos vincere posse*; et Croesi: *Croesus transgressus Halym maxima regna perdet* (3).

IX. Hos omnes daemoniacae fraudis modos congessit Augustinus *Lib. II. de Gen. ad litt. cap. IX. spiritibus seductoribus*

---

(3) Quo plura apud ethnicos huiusmodi vaticinia spargebantur, eo minorem apud gravissimos quosque viros fidem invenisse, compertissimum est. Dignus praeter ceteros qui consulatur Tullius *Lib. II. de Divinatione*, ubi augures, aruspices, et vates pluribus deridet, illudque advertit, ambigua adeo, et obscura huiusmodi oracula fuisse, *ut interpres egeret interprete, et sors ipsa ad sortem referenda esset*. Librum scripsit Porphyrius quoque *de philosophia ex oraculis petita*, in quo vanitatem oraculorum multis persequitur chachinnis. Habes et Oenomai hac de re testimonia pulcherrima apud Eusebium *Lib. IV., a cap. XX.* ad *XXVII.* Hinc Phoebus dictus Graecis λοξίας. Qui plura aveat, consulat Antonii Van-Dale dissertationem *De Oraculis*, vel si libet Fontenellium *dans l'Hist. des oracles.*

quaedam vera de temporalibus nosse permittimus, partim quia corporibus subtilioribus vigent, partim quia subtilioris sensus acumine, quod ipsi ab Omnipotenti Deo, etiam iussu eius discunt sibi revelantibus qui merita humana occultissimae iustitiae sinceritate distribuit: aliquando autem iidem nefandi spiritus etiam quae ipsi facturi sunt, velut divinando praedicunt. Delirare autem videntur, qui futurorum scientiam daemonibus vindicant ex astrorum contemplatione, quae vel futurorum caussas, vel saltem signa constituunt. Neque vero hic vacat astrologorum, ariolorum, et genethliacorum putidam vanitatem iam olim a Graecis Latinisque scriptoribus exsufflatam (4) luculentissimis San-

(4) Adversus astrologorum, genethliacorumque fallacias, et imposturas, vel ipsi Gentiles acerrime pugnant. Memorandus ante alios Sextus Empiricus in libro *contra Mathematicos* ubi *lib. V.* divinatorum ludibria funditus evertit. Nihil dicam de Tullio, qui *lib. II. de Divinat. cap. XCIX.* haec inter alia sexcenta vanissimae huius artis exempla profert: *Quam multa ego Pompeio, quam multa Crasso, quam multa huic Caesari a Chaldaeis dicta memini: neminem eorum, nisi senectute, nisi domi, cum claritate esse moriturum.* Miratur hinc, quomodo adhuc iis crederent

ctorum Patrum scriptis explosam, et gravissimis Sedis Apostolicae sententiis proscriptam refutare. Quum enim futurorum liberorumque eventuum non caussae, sed signa dumtaxat sint Caeli, caelestiaque corpora, quae ipsi somnia fingunt?

CAPUT VII.

SECRETAS MENTIUM COGITATIONES ANGELOS LATERE TUM EX SCRIPTURIS, TUM EX PATRIBUS EVINCITUR.

I. Convenit apud Christianos, tum ea quae occulte apud nos animo revolvimus,

---

quidam, *quum praedicta quotidie videant*, *vel ex eventu refelli.* Id ipsum brevi sed acuta oratione Phavorinus apud Gellium edisserit *Noct. Atticar. Lib. IV.* Sed nemo doctius, meliusque fallacissimos divinatores perstrinxit, quam celebris Joan. Picus Comes Mirandulanus in XII. libris *adversus Astrologos*, cuius vestigia sectatus est Picus alter, fratris illius filius, in *Lib. V. de Praenotionib.* Dignus etiam qui conferatur Hieron. Savonarola in tribus libris *adv. Astrologiam divinatricem*, nec non Bened. Peterius *de Magia*, *observat Somnior. et divinat. astrolog.*

tum quae sola voluntate interius agitamus, ab uno Conditore Deo, nec ab ullo altero naturaliter cognosci posse. Id ut credamus, adprime suadent Sacrae Litterae, quae praecipuum id Divinitatis adferunt argumentum, quod abdita mentis universa inspiciat, atque perlustret. Scriptum est enim *I. Reg. XVI.* 7. HOMO VIDET EA QUAE PATENT, DOMINUS AUTEM INTUETUR COR. Et *III. Reg.* TU NOSTI SOLUS COR OMNIUM FILIORUM HOMINUM. Et *Jeremiae XVII.* 10. EGO DOMINUS SCRUTANS COR, ET PROBANS RENES. Demum in *Ps. LXIII.* 22. IPSE ENIM NOVIT ABSCONDITA CORDIS.

II. Accedit Patrum auctoritas, qui nemini, nisi uni Deo humanarum cogitationum tribuunt cognitionem. Hinc Dydimus apud Damascenum *in Parallel. Solius est Divinitatis animi cogitationem intueri.* Augustinus vero *Serm. VI. de divers. Cor videre Dei est, hominum non est, nisi de his quae manifesta sunt, iudicare.* Vnde Hieronymus in *Ps. XVI. Diabolus*, inquit, *in anima intrinsecus nescit, quid cogitet homo, nisi per exteriores motus intelligat.* Ante hos autem disertissime Origenes loquutus est in *Homil. V. in Genes.* quem audire fortasse operae

dispendium non erit: *Verbi caussa*, inquit, *propositum habeo martyrium, non ex hoc dicere ad me Angelus poterit, quia nunc cognovi, quod tu times Deum; Deo enim soli cognitum est propositum mentis. Si vero accessero ad agones, protulero bonam confessionem, quae inferuntur constanter cuncta suscepero, tunc potest dicere Angelus, velut confirmans me, et corroborans: nunc cognovi quod tu times Deum.*

III. Quamobrem plerique Patrum Christum Dominum verum esse Deum ex eo confirmant, quod arcanas mentis cogitationes saepe in Evangelio cognovisse dicatur. Sic utique Cyprianus quem Fulgentius refert *Lib. II. ad Trasim. Filius igitur* (sicut S. Cyprianus asserit) *ubique praesens est; idem omnes audit, et videt, et maiestatis suae plenitudine in abdita quoque, et occulta penetrat, nec clamoribus admonendus est, qui cogitationes videt.* Et Cyrillus Alexandrinus *Lib. II. Comment. in Joan. Haec quoque dignitas, uti et ceterae, quae sunt in Christo, Deo competit, nec inest ulli rei creatae. Soli enim vero Deo ipsam tribuit Psalmista dicens: Qui finxit sigillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum.* Idem uno et altero verbo Ambrosius confir-

mat in *Cap. V. Luc. Dominus occultorum cognitione Deum se esse demonstrat*; a quo non abludit Petrus Chrysologus *Serm. XCIV. Dum Pharisaei cordis patefecit arcanum: ipsum fuisse totius Prophetiae demonstrat auctorem.*

IV. Eodem modo adversus Macedonianos Spiritus Sancti Divinitatem vindicarunt Patres, quod auctori tantum debetur, ut conscientiam possit intrare secretam. Egregius est Paschasii locus *Lib. II. de Sp. S. cap. I.* quem supra retulisse memini: *Si hominis occulta cognoscere, Divinitatis est proprium, quanto magis profunda Dei summi in persona Spiritus Sancti maiestatis insigne est?* In quem sensum disputantem etiam habemus Eusebium Emissenum *Hom. de de Trin. Apostolus protestatur* Act. I. *Spiritus scrutatur etiam alta Dei. Si specialiter Deus creditur, qui occulta hominis intuetur: quanto magis Deus est, qui profunda paterni pectoris perscrutatur.*

V. Quum igitur unius Divinitatis haec nota sit, ut abdita mentis penetret, quisque videt an merito ab Angelis abiudicanda sit. Vnde disertissimis verbis in Apostoli effatum *I. ad Corinth. cap. II.* Angelicus Thomas disputabat: » Nec Angelus bonus, nec malus

ea quae in corde hominis latent scire potest (5) nisi in quantum per aliquot effectus manifestantur. Cuius ratio accipi potest ex ipso verbo Apostoli, qui dicit ea ratione spiritum hominis cognoscere quae in corde hominis latent, quia in ipso homine est. Angelus autem neque bonus, neque malus illabitur menti humanae, ut in ipso corde hominis sit, et intrinsecus operetur; sed hoc solius Dei proprium est. Vnde solus Deus est conscius secretorum cordis hominis: secundum illud Jo-

(5) Daemonibus intimas animi nostri cogitationes haud esse perspectas, par omnium Patrum vox est. Vnum Cassianum exempli instar, et copiose de hac re disserentem *Collat. VII. cap. XV.* profero. *Nulli dubium est, quod possint Spiritus immundi cogitationum nostrarum attingere qualitates, sed indiciis eas sensibilibus forinsecus colligentes: id est ex nostris dispositionibus, aut verbis ac studiis in quae propensius conspexerint nos inclinari. Ceterum illas, quae necdum de internis animae prodierint, adire omnino non possunt. Ipsas quoque cogitationes, quas ingerunt, utrum susceptae, vel quemadmodum susceptae sint, non per ipsius animae naturam, id est per illum interiorem motum, qui in abditis eius absconditur, et ut manifestius aliquid exprimam, in medullis, ut ita dixerim, saepius latitantem; sed ex motibus, atque indiciis exterioris hominis deprehendunt.*

bi XVI. » Ecce in caelo testis meus, et in excelsis conscius meus ».

CAPUT VIII.

ANGELORUM VOLUNTAS VINDICATUR. MUTABILEM EX SESE ILLORUM VOLUNTATEM ESSE OSTENDITUR.

I. Voluntate ac libertate praeditos Angelos esse, vel ex eo quisquis intelliget, quod animi libero quodam arbitrio, atque proposito regitur quidquid ratione pariter, ac mente ornatum est. Quamobrem Damascenus *Lib. I. de fide Orthod. cap. III.* inquit: *Omne quod ratione utitur, libertate quoque praeditum est.* Id ipsum vero opportune Basilius ex ipsorum ruina demonstrat in *Lib. de Sp. S. cap. XVI. Impiorum*, inquit, *et adversariorum spirituum defectio, id, quod dicimus, approbat, iuris sui, ac libertatis esse invisibiles virtutes, et neque in virtutem ac vitium vergere: ideoque ope Sancti Spiritus agere.* Ex quo Divinitatem Spiritus S. colligit, qui non extrinsecus quaesitam habet sanctitatem, ut caelestes ipsae Virtutes, sed naturalem.

II. Inter humanam autem, et Angelicam voluntatem id intercedere discriminis putavit S. Thomas, quod liberum arbitrium hominis flexibile sit ad oppositum et ante, et post electionem; liberum autem arbitrium Angeli ad quodcumque oppositum flexibile sit ante electionem, non vero postquam elegerit. Repetit autem eiusmodi differentiam a diversa conditione humanae et Angelicae cognitionis. » Docet enim Angelum adprehendere immobiliter per intellectum, quemadmodum nos immobiliter adprehendimus prima principia. Unde inquit, voluntas hominis adhaeret alicui mobiliter, quasi potens ab eo etiam discedere, et contrario adhaerere; voluntas autem Angeli adhaeret fixe, et immobiliter ».

III. Verum ista Thomae argumentatio neque ad Patrum sententias exacta probatur Cl. Petavio, neque multiplici ratione quamplurimis Theologis admittenda videtur (6). Posse enim

(6) Falsum id autem est, cognitionem Angelicam immobiliter adprehendere. Nam quum multa sint Angelis abscondita, vel ut futura, et occulta, ex quorum scientia electio dimanat, quid erit impedimento, quominus quum illorum notitiam adsequuti fuerint, electionem suam mutare possint Angeli? Praeterea qua scientia, cognitioneque rerum Angeli ante electionem, eam quoque post

Angelos suapte natura ab iis quae semel elegerint ad contraria converti, mutarique, veteres Patres fere consentiunt, quos operis dispendium esset huc producere. Immo hoc ipsum quod Angeli boni in suscepta bonitate constanter persistant, non eorum naturae tribuunt, sed divinae potestati et gratiae. Itemque quod daemones in nequitia sua voluntatem obfirmarint, eo factum docent, quod illos Divina gratia destituerit; non quod ita ferat ipsorum natura. Haec sane tradiderunt Beati Patres Basilius, et Gregorius Nazianzenus; itemque Gregorius alter Nyssenus, et Maximus Dionysii interpres; nec non Augustinus, Fulgentius, Isidorus. Unde Eucherius lib. I. in Genes. *Qui quidem*, ait, *dum sunt mutabiles natura, facit tamen eos immutabiles, atque incorruptos gratia sempiterna.* Et Anselmus in *Lib. de casu diaboli cap. XXIX. Palam igitur est, quia sicut illi non posse recuperare quod deseruit, est poena peccati: ita huic non posse deserere quod tenuit, est praemium iustitiae.*

IV. Patent praeterea in Sanctis Libris exem-

---

electionem retinent. Quum igitur, illa nihil obstante, possint ante electionem utrilibet opposito adhaerere, idipsum accidere poterit post electionem.

pla, quibus Angelorum in eo quod semel elegerint mutabilitas cernitur. Nam Danielis *Cap.* X. duos inter se Angelos de libertate Judaeorum contendisse scribitur, quum alter pro Dei iustitia decertans impedire illam conaretur, alter pro Dei bonitate illum urgeret, in cuius tamen sententiam prior discessit, quum Deus secundum libertatem decrevisset.

CAPUT IX.

ANGELORUM NUMERUS INGENS. HIERARCHIAE DIONYSIANAE IN NOVEM ORDINES DISTRIBUTIO. EORUM NOMINA EXPLICANTUR. ALIOS IGNOTOS ESSE ANTIQUI FATENTUR.

I. Innumerabilem Caelestium Spirituum multitudinem esse, ac propemodum infinitam Sacrae Litterae adprime testantur. Scriptum est enim in *Ps. LXVI* CURRUS DEI DECEM MILLIBUS MULTIPLEX MILLIA LAETANTIUM. Et Danielis VII. 10. MILLIA MILLIUM MINISTRABANT EI, ET DECIES MILLIES CENTENA MILLIA ASSISTEBANT EI. Et *Apocal. V. II.* ET ERAT

NUMERUS EORUM MYRIADES MYRIADON, idest innumerabilis.

II. Hunc autem beatorum Spirituum exercitum in novem ordines distributum, ex Sacris litteris post Dionysium Areopagitam Gregorius Magnus numerando colligit *Hom. XXXIX.* nimirum, *Angelos*, *Archangelos*, *Virtutes*, *Potestates*, *Principatus*, *Dominationes*, *Thronos*, *Cherubim*, et *Seraphim*. Hos recenset Apostolus *ad Ephes. I.* 21. SUPRA OMNEM PRINCIPATUM ET POTESTATEM, ET VIRTUTEM, ET DOMINATIONEM; et *ad Colos. I.* 16. SIVE THRONI, SIVE PRINCIPATUS, SIVE POTESTATES. Angeli vero, et Archangeli, Cherubim, et Seraphim passim in universa Scriptura memorantur.

III. Iisdem nominibus Sanctus Ignatius Martyr Angelicos ordines consignat in *Epist. ad Trallianos*; tum et Irenaeus *Lib. II. cap. LIV.* et Origenes *Lib. IV. contra Celsum.* Athanasius item in *Epist. ad Serapionem*; *Angelos*, *Cherubim*, *Seraphim*, *Virtutes*, *Principatus*, *Potestates*, *Dominationes* memorat, quibus alibi *Thronos* adiungit, ut noveratius numerus constaret. Eodem modo Basilius *Homil. de fide*, *Angelorum choros*, *Archangelorum praefecturas*, *gloriam Domi-*

nationum, *processiones Thronorum*, *Virtutes*, *Principatus*; *Potestates* expresse significat. Eorumdem meminit Ephiphanius *Haeres. XLVI.*, Chrysostomus *Hom. IV. in Genes.* Par Gregoriorum, Nazianzenus nempe *Orat. XXXIV.*, et Nyssenus *Hom. XV. in Cantic.* Quibus accedit Cyrillus *Orat. CII. Pasch.* ubi ait: *ac numero quidem maiorem spirituum beatorum multitudinem condidit*, *et ordinem iis quae condiderat optimum assignans*, *alium vocavit Principatum*, *alium Dominationem*, *alium Thronum*, *quosdam item Archangelos*, *nec non Angelos.* Consonat Ambrosius *Lib. I. Hexaëmeron.* Augustinus *Epist. ad Orosium*, et Hieronymus in *Cap. V. Epist. ad Ephes.* Atque haec vel ideo fusius adnotasse praestat, ut Apostoli sensus teneatur, et ut Bezae temeritas frangatur, qui putidam cautiunculam ex Erasmi scrinio furatus, contendebat, non de Angelorum Ordinibus loquutum Apostolum, sed de potestatibus, et dignitatibus creatis.

IV. Insignis porro est Dionysiana horum novem ordinum in tres Hierarchias distributio in *Lib. I. de Caelest. Hierarch. cap. III.* Est autem Hierarchia, ut quidem a Dionysio traditur: Sacrorum principatus, cujus perfectio ex potestate, scientia, et functione exi-

stit, cuiusque finis est similitudo cum Deo, et coniunctio. Prima Hierarchia continet *Seraphim*, *Cherubim*, et *Thronos*; altera *Dominationes*, *Virtutes*, et *Potestates*; Tertia *Principatus*, *Archangelos*, et *Angelos*, de quibus nonnulla duco adnotanda.

V. SERAPHIM hebraice ab igne nomen acceperunt, tum quod igneo quodam Divini amoris ardore prae ceteris aestuantes in Deum rapiuntur, tum quod inferiores Spiritus eodem igne succendunt. Unde *incendentes* eos adpellat Bernardus *Serm.* XIX. *in Cantic. quorum*, inquit Gregorius Magnus *Hom.* XXXIV. *flamma amor est, quia quo subtilius charitatem Divinitatis aspiciunt, eo validius in eius amore flammescunt.*

VI. CHERUBIM autem notio perobscura videtur, cuius originem alii Syriacam tradunt a *Chroubo potentia*, alii ex Hebraico *Charab* ab inequitatu scilicet, aut vectione in cursu (7); Deus enim dicitur in Psalmis *sedere super Cherubim*, *et ascendisse super Cherubim*, *et volasse* (8). His sapientiae ple-

(7) Eruditorum multa de voce *Cherub* opinamenta videsis apud Augustin. Pfeifferum *Dub. Vexat. Cent. I. loc. X.*

(8) Putarunt nonnulli imaginem Cherub consta-

nitudo tribuitur, unde *profusionem sapientiae* eos interpretatur Dionysius, et Origenes *Hom. V. in Num.*, quos sequutus videtur Chrysostomus *Hom. V. in Anomaeos*. Negat autem Theodorus Mopsuestenus hoc nomine Angelicum ullum ordinem significari, sed dumtaxat quidquid est. Qui tamen ab Hebraica antiquitate, et communi Sanctorum Patrum traditione refellitur.

VII. THRONI hinc veniunt, quos a celsitudine, et sublimi statu adpellatos docet Dionysius. Cassianus autem *Coll. I. cap.* XXIII. *sedes* dictas putat, *quod ista Deo cohaereant, et domestici sint, ac familiares, ut in ipsis veluti in quadam sede Divina Maiestas peculiariter quiescat, et quodammodo in eis firmius reclinet.* Atque hanc sessionem Bernardus *Lib. V. de Considerat. cap. IV.* interpretatur summam tranquillitatem, placidissimam serenitatem, et pacem, qua Deus iudicat.

VIII. DOMINATIONES inde dictas Gregorius censet, quod mira potentia praeeminent, quandoquidem eis cetera ad obediendum subiecta sunt.

---

re ex hominis, leonis, aquilae, et bovis forma. Conferas Hieron. a Prado *Comm. in Ezechiel. nar. I. Sect. V.* et Jo. Bapt. Villalpandum *Part. II. cap. XXXV. in Ezechiel.*

IX. VIRTUTES, quae δυναμεις, et ab Hebraeeis *Sabaoth* exercitus adpellantur, vel inde nomen nactae sunt, quod bellicam Dei fortitudinem exprimant, ut Dionysio consentaneum videtur; vel ut arbitrati sunt Isidorus, et Bernardus, *quod per eos signa et miracula frequentius fiant.* Illud autem non praetereundum, quod Virtutes promiscue Angeli omnes vocantur, ut apud Chrysostomum *Tom. III contr. Anomaeos*; Theodoret. *Serm. III. contr. Gent.* et Hilarium *Lib. III.* Unde Prudentius in *Apotheosi* cecinit.

Attamen in caelum quoties suspexit in uno
Constituit ius omne' Deo; cui serviat ingens
Virtutum ratio variis instructa ministris.

X. POTESTATES Gregorius ex eo sibi suadet dictas, quod earum ditioni adversae pareant virtutes, earumque vi coerceantur, ne corda hominum tentare pro lubitu valeant. Dionysius autem eas ab ευταξιας *ab ordine* arcessit, quibus id potissimum Apostoli tribuere videtur *ad Rom. cap.* XI. OMNIS ANIMA POTESTATIBUS SUBLIMIORIBUS SUBDITA SIT, NON EST ENIM POTESTAS, NISI A DEO, QUAE AUTEM SUNT, A DEO ORDINATA SUNT. ITAQUE QUI

RESISTIT POTESTATI, DEI ORDINATIONI RESISTIT.

XI. PRINCIPATUS, quod in subiectos, inferioresque spiritus principatum obtinent, facile id nomen sortiti sunt; Quamquam Bernardus potius autumat, eorum regimine, ac sapientia terrenos principatus constitui, gubernari, et mutari.

XII. ARCHANGELI inter ἀρχας *principatus* et Angelos medii sunt, a quibus legationum gravitate, ac praestantia distinguuntur. Atque horum numerum septenarium esse cum ex *Tobiae cap.* XII. constat, tum ex Joannis illo in *Apocal.* SEPTEM SPIRITUS DEI SICUT TOTIDEM LAMPADES CORAM THRONO.

XIII. ANGELI nomen commune spiritibus omnibus esse nonnulli putarunt; cuius illa verior expeditiorque ratio videtur, quam Gregorius Magnus *Hom.* XXXIV. *in Evang.* tradit; nimirum quum ob id Angeli dicantur, quod *per eos aliquà nuntientur*, non extremi tantum ordinis spiritus, sed supremi etiam nonnumquam ad homines legantur, et munere funguntur nuntiorum.

XIV. At praeter hos, quos usque dum numeravimus, Angelorum ordines, alios etiam esse, quorum ignota nobis nomina, adprime

Chrysostomus docet *Hom. IV. De incomprehensibili. Sunt enim*, inquit, *sunt et aliae Virtutes, quarum ne nomina quidem novimus . . . Sunt enim Angeli, et Archangeli, et Throni, et Dominationes, et Principatus, et Potestates. Sed non soli isti sunt coetus in caelis, verum infinitae gentes, et nationes ineffabiles, quas nulla explicare potest oratio.* Id autem Chrysostomus ex Paulli epistola *ad Ephes. I.* 21. arguit, qui de Christo ait: quod *sedere ipsum fecit supra omnem principatum, et potestatem, et virtutem, et omne nomen, quod nominatur, non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro.* Unde e vestigio subdit: *Videtis uti sunt aliqua nomina, quae manifesta illic erunt quum sint ignota modo.* Quod ipsum et Origenes insinuare videtur *Lib. I.* περι αρχων, et Theodoretus in eumdem Apostoli locum ad Ephesios.

CAPUT X.

ANGELI OMNES MINISTRATORII SPIRITUS SUNT. EORUM IN DEUM MINISTERIUM EXPENDITUR.

I. Potissimum, perpetuumque Angelorum esse ministerium Throno Dei adsistere, Sacrae Litterae haud uno loco apertissime tradunt. Et primo Danielis VII. 10. MILLIA MILLIUM MINISTRABANT EI, ET DECIES CENTENA MILLIA ADSISTEBANT EI. Et Isaiae VI. 3. de Seraphim dicitur: CLAMABANT ALTER AD ALTERUM SANCTUS SANCTUS SANCTUS DOMINUS DEUS EXERCITUUM, PLENA EST OMNIS TERRA GLORIA EIUS. Sic *Apocal. IV.* 8. REQUIEM NON HABEBANT DIE AC NOCTE DICENTIA SANCTUS SANCTUS SANCTUS DOMINUS DEUS OMNIPOTENS, ET QUI ERAT, ET QUI EST, ET QUI VENTURUS EST. Et ibidem VII. 11. OMNES ANGELI STABANT IN CIRCUITU THRONI ET CECIDERUNT IN CONSPECTU THRO-

NI IN FACIES SUAS, ET ADORAVERUNT DEUM, DICENTES: AMEN.

II. Ex eo autem quod ante faciem Dei adsistant Angeli, pronum est arguere, quod ad eius excipienda, exequendaque iussa parati, expeditique sint. Quamobrem opportune Chrysostomus *Homil. III. de Job. omne ministerium*, ait, *assistentia vocatur*; et Athanasius *Orat. III. Contr. Arianos*: *infinita millia Deo assistunt ministrorum, qui parati sunt ut mittantur.*

III. Nimirum igitur, ut quod res est ingenue fatear, omnino Angelici Thomae non adsentior divisioni (9) in Angelos adsistentes, et ministrantes, perinde si sanctis illis spiritibus aliud sit adsistere, aliud ministrare. Quod sane, ut Patrum mittam auctoritatem, ipsis Scripturis adprime contrarium videtur, quae Angelos quosdam, qui nominatim adsistere dicuntur, e caelo mitti docent, in terras, ac variis legationibus, ministeriisque perfungi (10). Michel in primis,

---

(9) Conferas S. Thomam *Quaest. CXXII. art.* 3. quem S. Bonaventura sectatur in *Dist. XX. art.* 1. *quaest. II.*

(10) Adsistere, ministrandi functionem non excludit; quin idem est ac adparere, unde adsistentes idem sonare videntur, ac Latinis adpari-

qui UNUS DE PRINCIPIBUS PRIMIS *Dan.* X. 13. dicitur, et PRINCEPS MAGNUS ibid. XI. 1. venire nihilominus ad opem ferendam legitur, et de Mosis corpore certasse cum Diabolo in Judae *Epist. Cathol v.* 9. proditum est. Ita et Gabriel Zachariae Sacerdoti oblatus in templo *Luc.* 1. 19.: EGO SUM, inquit, GABRIEL QUI ASTO ANTE DEUM, et tamen Danieli se stitit, eique ventura praedixit; tum et ad Virginem Mariam missus, quod Christus de ea nasceretur, nunciavit. Eodem modo Raphael, EGO, ait, SUM UNUS EX SEPTEM QUI ASTAMUS ANTE DOMINUM. *Tob. XII.* 15. et tamen ad Tobiam missus nulla, nec infima quidem servorum obsequia detrectat. Quod autem ad ipsos Seraphimos pertinet, qui supremi omnium videntur, neminem latet, ex istis unum ad Isaiam missum *Isai.* VI. Scimus et *Gen.* III. Cherubimum ante paradisum voluptatis collocatum. Quid quod insignis est Joannis locus in *Apocalyps. cap. V.* quo expresse habetur, septem Spiritus, qui ante Thronum Dei sunt, et quos primogeni-

---

tores, Graecis vero παραςταται, qui Principi, vel magistratui adparent ad eorum exsequenda mandata.

tos Angelorum principes adpellat Clemens Alexandrinus *Lib. VI. Strom.* in omnem terram mitti. Accedit et peremptorium Apostoli testimonium ad *Heb. I.* OMNES SUNT ADMINISTRATORII SPIRITUS IN MINISTERIUM MISSI cuius vis ex veterum Patrum iudicio huiusmodi est, ut nullus ab eo administrorum numero Angelus excipiatur.

CAPUT XI.

CUIQUE HOMINUM CUSTODEM ANGELUM ESSE, EX SCRIPTURIS ET PATRIBUS EVINCITUR, NONNULLA DE POPULORUM, ECCLESIARUMQUE SOSPITATORIBUS ANGELIS ADTINGUNTUR.

I. Vetus est, et communis ethnicorum opinio, cuilibet mortalium regundo, servandoque beneficos custodes a Deo destinatos (11); Et vetus item Christianorum persua-

---

(11) Ethnicam daemonologiam cum sacra de Angelis doctrina adprime congruere, quisquis, vel obiter in veterum monumentis versatus, confitebitur. Plura superius praelibasse memini, qui-

sio, tum rationi, tum solidissimo Scripturarum fundamento innixa, unicuique suum co-

---

bus, pro re nata, nonnulla adnotatione digna adiungam. Et primo, unicuique mortalium tutando, statim atque in lucem emissus erat, Genium comitem adiunxisse veteres constat. Sane nihil eo frequentius apud Poëtas, quorum instar sit Menander apud Plutarchum in *Lib. de anim. tranquil.*

Unicuique daemon viro adstat
Statim nato, mystagogus vitae
Bonus; nam daemonem malum non par est credere
Esse, ut bonam laedat vitam.

quem locum vel ideo adposui libens, ut videas daemonem malum a Menandro exclusum. Horatius etiam. *Lib. II. Epist.* 2.

Scit Genius, natale comes, qui temperat astrum,
Naturae Deus humanae, mortalis in unum
Quodque caput, vultu mutabilis, albus et ater.

Possem porro et innumera huiusmodi testimonia ex philosophorum scriniis huc proferre; sed nemini non nota arbitror tam multa, quae Plato habet, Plotinus item, Proclus, Plutarchus, Seneca, ne alios memorem. Nemo autem id Epicteto, et Censorino disertius docet, quod certe ex Christiano Theologo dictum credas. Ille quidem apud Arianum *Diss. Lib. I. cap. XIV.* Tu-

mitem, custodemque Angelum esse, qui sospitatis, educationis, vitae totius, ac sempiternae salutis curam gerat, qui daemonum insidias, et imminentia undique pericula propulset, mala quaeque pessima averruncet, qui currentibus calcaria addat, timidos confirmet, moerentes erigat, laborantes adiuvet, lapsos allevet; opportuna moneat, orantibus

---

torem, inquit, *unicuique Deus assignavit, singulorum genium, et huic ipsum custodiendum tradidit, et quidem eiusmodi, qui neque dormiat, neque falli possit. Nam cui tandem alteri praestantiori, ac solicitiori custodi unumquemque nostrum committeret? Itaque quando ianuas occluseritis, et tenebras intus induxeritis, mementote uti numquam vos solos esse dicatis. Non enim estis: sed Deus intus est, et vester Genius est.* O vocem maximo dignissimam Theologo! Censorinus vero *Cap. III. de die Natal. Genius est Deus, cuius in tutela, ut quisque natus est, vivit. Ita autem nobis adsiduus observator appositus est, ut ne puncto quidem temporis longius abscedat; sed ab utero matris exceptos ad extremum vitae diem comitetur.* Virorum porro custodes, *Genios*, et *Junos* veteres latini dixerunt; *Junones* vero, aut *genias* mulierum custodes, quibus, ne longius immorer, confersis Senecam *Epist.* CX. Plinium *Hist. Lib. II. cap. VII.* Plautum in *Mercatore*; Tibullum *Lib. IV.* Sosipat. Carisium *Lib. II.*

adsit, eorumque vota precesque Deo offerat, denique vero perfunctos huius vitae casibus in beatorum ducat consórtium.

II. Dicat quisquis, neque enim resistam ego, ex ratione id eruisse ethnicos; verumtamen id mihi animo fixum est, universam hanc doctrinam, si quae alia dogmata, ex sanctis Libris suffuratos esse, quod alibi multis memini evicisse. Sed quidquid sit, certe Scriptura rem adstruit apertissime. Et quidem Iacob Angeli tutoris sui meminit *Gen.* XLVIII. 16. ANGELUS ERUIT ME DE CUNCTIS MALIS. Iudith. vero *cap.* XIII. 20. CUSTODIVIT ME ANGELUS EIUS. Id ipsum et ex Iosue *cap.* V. *et* VI. et ex Daniele *cap.* X. constat. Sed apertissima, et peremptoria sunt quae habentur in *Ps.* XC. ANGELIS SUIS DEUS MANDAVIT DE TE UT CUSTODIANT TE IN OMNIBUS VIIS TUIS. Et *Matth.* XVIII. 10. ubi Christus Dominus inquit: VIDETE NE CONTEMNATIS UNUM EX HIS PUSILLIS, DICO VOBIS, QUOD ANGELI EORUM IN CAELIS SEMPER VIDENT FACIEM PATRIS MEI. Quidquid ad eum locum deblateret Calvinus, certe id adeo exploratum receptis Ecclesiae filiis fuit, ut Petro ianuam pulsanti dixerint *Act.* XII. ANGELUS EIUS EST.

III. Tantis autem Scripturarum oraculis contestata veritas, unanimi Patrum confirmatur suffragio, nisi quod omnium instar, paucissima dumtaxat testimonia adducam. Et sane Origenes in illo Actorum loco quem postremo commemoravimus, inquit: *Ergo intelligitur esse et alius Pauli Angelus, sicut est Petri, et alius alterius Apostoli, et singulorum per ordinem.* Sed insignis est locus alter in *Hom. XX. in Numer. Adest unicuique nostrum, etiam minimis, qui sunt in Ecclesia Dei, Angelus bonus, Angelus Domini, qui regat, qui moveat qui gubernet, qui pro actibus nostris corrigendis, et miserationibus exposcendis, quotidie videat faciem Patris, qui in Caelis est.* Chrysostomus vero *in Matth. XVIII.* 10. *Hinc manifestum est*, inquit, *quia omnes Sancti Angelos habent.* Et Hieronymus in eumdem locum: *Magna dignitas animarum, ut unaquaeque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui Angelum delegatum.* Basilius item: *Quod autem unicuique fidelium adsit Angelus, tamquam paedagogus aliquis, et pastor vitam gubernans, nemo contradicat, qui Domini verborum meminerit dicentis (Matth: XVIII.) ne contemnatis cet.* quibus omnino fauces Calvino perstringit.

IV. Atque huc facit, quod Angeli passim a Sanctis Patribus dicantur *vitae nostrae spectatores*, nimirum a S. Gregorio Nysseno *Orat.* II. *de* XL. *Martyr.* tum *Curatores generis humani* a S. Basilio *in cap.* VIII. *Isaiae*, *Praeceptores hominum* a S. Athanasio; *Ecclesiae inspectores* a S. Gregor. Nazianz. *Orat.* XXXII. *Episcopi et pastores Gregum* ab Ambrosio, et communi usatissimoque omnibus vocabulo φυλακες *custodes*.

V. Porro non singulis hominibus tantum, sed et Gentibus, et Populis tutandis Angelos praepositos esse, cum Graecae, tum Latinae Ecclesiae Patres expressissime adfirmant (12). In primis vero de his late disputat Origenes

(12) Ex ethnicorum religione Genium suum non homines tantum habuerunt, sed Regna quoque, populi, urbes, luci, templa, domus, familiae, provinciae, municipia, coloniae, centuriae, collegia, exercitus, theatra, nimphaea, fontes, bella, pugnae, victoriae, thesauri, antra, viae, sepulcra demum. Paganam fidem Prudentius testatur *Lib. II. advers. Symmach.*

Quamquam cur Genium Romae mihi fingitis unum?
Cum portis, domibus, thermis, stabulis, soleatis
Adsignare suos Genios? perque omnia membra

Lib. V. contr. Celsum; Eusebius *Lib. IV. Demonstr. Evang. cap. VI.* Dionysius *cap.*

Urbis, perque locos Geniorum millia multa

Fingere, ne propria vacet angulus ullus ab umbra.

Sed non aliunde disertius res probari potest, quam ex litteratis Ethnicorum monumentis. De Civitatum enim Genio innumera patent testimonia in cippis. Hinc Genio Ariminensium lapidem positum offendimus ap. Murat. *Thes. vet. Inscript. p. LXXVI.* 5. Genio Brixianorum *p. LXXVI.* 9. Genio Castulonensium *p. MXXXVII.* 7. Genio Civitatis Celeiae *p. MXXXVIII.* 3. Genio Daciarum *p. LXXVII.* 11. Genio Pagi Livi *LXXVII.* 8. Eodem modo in nummis Constantii Chlori Genio Populi Romani. De genio coloniarum non est cur dicam. Neapoli inscriptionem habemus apud Capaccium *Hist. Neap.* et ap. Murat. *MCXII.* 7. Genio Coloniae Neapolitanae. Item Genio Coloniae Puteolanorum ap. Murat. *DCCCXCII.* 10. Praeterea Genio Collegii monumenta posita habes apud eumdem *LXXVI.* 11. et *pag. seq. num. I.* itemque *Genio Theatri* in marmore anaglyptico apud Mazochium in *Mut. Campan Amphit. titulum.* Genio Conservatori Horreorum Galbianorum ap. Grut. *p. LXXV.* 1. Genio Horreorum Leonianorum ap. Murat. *LXXVII* 8. Genio Macelli *MCMLXXXII.* 7. Sed nullus finis esset, si vetera monumenta vel numerare dumtaxat vellem. Plura qui aveat, conferat CL.

IX. *de Cael. Hierarch.* Theodoretus *Lib. I. adv. Haeres. cap. VIII.* quibus Hilarius, Hieronymus, et Isidorus Hispalensis accedunt, quorum plerique rem ex Deutoronomii *Cap.* XXXII. adstruere conantur ubi; QUANDO DIVIDEBAT ALTISSIMUS GENTES:QUANDO SEPARABAT FILIOS ADAM, CONSTITUIT TERMINOS POPULORUM IUXTA NUMERUM FILIORUM ISRAEL, quod LXX. Interpretes verterunt *εστησεν ορια εθνων κατα αριθμον αγγελων θεου constituit terminos gentium iuxta numerum Angelorum Dei.* Porro autem et exempla in Scripturis habemus. Michaelem enim Iudaico populo praepositum fuisse, Moses innuit in *Deuteron.* Ex Daniele autem constat, alium ex Angelis Persas moderari, alium Graecos; quos quidem bo-

---

Fabrettum *Inscript. Domest. Clas. II. p.* 73. Bonarrotum in *Observ. ad tabul. XXVIII. fig.* 2. *p.* 186. Rivantellam, et Ricolyium in *Marmor. Taurinens. Part. I. p.* 137. Gorium *Inscript. Etrusc. Tom. I. p.* 185. Joannem de Vita *Antiquit. Beneventan. Dissert. II.* Jo: Bapt. Passerium in *Dissert. de Genio domestico*, et in *Acherontico, seu de ara sepulcrali cap. XIII.* quae extant in Museo Etrusco Goriano *vol. III.* Itemque nostrum *Schedoasma de die veterum natali*, quod propediem in lucem prodibit.

nos fuisse Angelos constans prope est Sanctorum Patrum sententia.

VI. Nec gentibus tantum, sed singulis quoque Ecclesiis Angelos praeesse Origines ex *Apocal. cap.* I. arguit *Hom.* XX. *in Num.* et Gregorius Nazianzenus, qui *Orat.* XXXII. inquit: *Nec enim mihi dubium est, quin alii aliarum Ecclesiarum praesides, ac patroni sint, quemadmodum in Apocalypsi Ioannes me docet.* Idem calculo suo confirmant Ambrosius, et Chrysostomus, qui Angelos sacris locis adsistere, et incruento sacrificio interesse adposite docent. Quare vocem illam *migremus hinc*, quam in excidio Hierosolymitani templi auditam refert Iosephus in *Antiquit. Iudaicis*, nonnisi Angelorum fuisse putat Hieronymus.

VII. Sed id postremo loco non praetereundum, quod Origenes ex libro Hermae, sive Pastoris, didicit, malum etiam Angelum cuique tributum, qui ad peccata pelliceret. Quod ex eodem libro desumpsisse sine dubio videtur Gregorius Nyssenus *Lib. de Vit. Mosis*, et Cassianus *Collat.* VIII. *cap.* XVII. Atque his tamen haud adsentiendum puto, quibus non aliorum Patrum suffragatur auctoritas. Non enim esse Divinae bonitatis videtur, ut homines, naturae vitio satis ad peccatum

propensos, daemonum, qui ad id destinati sunt, machinationibus obiiciat. Opinamentum autem illud ex Ethnicorum Theologia defluxisse, quovis pignore decertabo (13).

---

(13) Cuique hominum binos daemones adesse, *αγαθον bonum*, alterum vero *κακον malum* veteres putarunt. De utroque Orpheus cecinit in *Hymn. ad Musas*:

> *Δαιμονα δ' ηγαθεον, και δαιμονα πημονα θνητων,*
>
> *Daemonemque divinum, et daemonem noxium mortalibus.*

Eodem modo Empedocles cecinit apud Plutarchum in libello *de animi tranquillitate*. Notus est et Servii locus *ad VI. Aeneid.* 717. *Cum nascimur duos Genios sortimur; unus est qui hortatur ad bona, alter qui depravat ad mala.* Ad haec memini apud Florum legisse *Lib. IV. Cap. XXIII.* atram quamdam imaginem Bruto per noctem oblatam, et, quae esset, interrogatam, *TUUS*, respondisse MALUS GENIUS.

CAPUT XII.

ANGELOS OMNES IN GRATIA CONDITOS FUISSE EVINCITUR. AUGUSTINUS EXPLICATUR.

I. Quum miseria sit poena peccati, nemo sub iusto Deo miser esse potest, nisi miser esse mereatur. Quamobrem Angeli nulli miseriae obnoxii creati sunt, quum in primo creationis instanti omni vacaverint culpa. Verum ut eos non beatos tantum, sed et gratia sanctificante ornatos credamus, Scripturae nos adducunt, in quibus Angeli perfecti antequam praevaricarentur, aperte dicuntur. Insignis est Ezechielis locus *XXVIII.* 12. de Diabolo: TU SIGNACULUM SIMILITUDINIS, PLENUS SAPIENTIA, ET PERFECTUS DECORE, IN DELICIIS PARADISI DEI FUISTI; OMNIS LAPIS PRETIOSUS OPERIMENTUM TUUM: PERFECTUS IN VIIS TUIS A DIE CONDITIONIS TUAE, DONEC INVENTA EST INIQUITAS IN TE quem locum de Lucifero Patres interpretantur, cuius superbiam imitatus fuerat Tyri Princeps, de quo loquitur Propheta. *Quid namque boni* (Gregorius Pontifex inquit *Mo-*

ral. Lib. XXXII.) *habuit Lucifer*; *si signaculum similitudinis Dei fuit?*

II. Diabolum praeterea, qui a donis gratiae, quibus ornatus fuerat, sua culpa excidit, designatum Patres agnoscunt in Isaiae verbis *XIV.* 12. ubi de Rege Babylonis: QUOMODO CECIDISTI DE CAELO LUCIFER, QUI MANE ORIEBARIS? QUI DICEBAS IN CORDE TUO, ASCENDAM SUPER ALTITUDINEM NUBIUM, SIMILIS ERO ALTISSIMO. Unde merito concludit Catechismus Romanus in I. Symb. artic. *Perspicuum est*; *diabalum, reliquosque desertores Angelos ab ortus sui initio gratia praeditos fuisse.*

III. Porro autem Patrum accedit auctoritas, quam non heic duco praetereundam. Rem enim expressissime adstruunt Basilius *Epist. CXLI.* Cyrillus *Dial. de Trinit.* Gregorius Nazianzenus *Orat. XXXVIII.* Theodoretus *Lib. V. contr. Haeres. cap. VIII.* Et Maximus, ac Pachymeres ambo Dionysii interpretes; quin et ponderosum argumentum confici potest tum ex eo quod aiunt, nullum in Angelis esse accidens, tum vero ex quo similitudine utuntur ignis, a quo abesse calor non potest. Omnium autem disertissime Angelos in gratia conditos Augustinus adfirmat *Lib. XII. de Civit. Dei cap. IX. Si-*

mul ut facti sunt, ei, a quo facti sunt, amore cum quo facti sunt, adhaeserunt: eoque sunt isti ab illorum societate discreti, quod hi in eadem voluntate bona manserunt, illi ab ea deficiendo mutati sunt, mala scilicet voluntate, hoc ipso, quod a bono defecerunt. Subdit autem, (quod maxime advertendum est): *Et istam bonam voluntatem quis fecerat, nisi ille, qui eos cum bona voluntate, id est cum amore casto, quo illi adhaerent, creavit, simul in eis condens naturam, et largiens gratiam?*

IV. Etsi vero ex his meridiana luce clarius pateat, S. Augustinum totum esse nostrum, non desunt tamen qui eumdem adversus nos solicitant, quod *Lib. I. de Gen. ad Litt.* scripserit, Angelos prius creatos informes, et a Mose indigitatos sub *Caeli* nomine, deinde formatos, utique per gratiam, et a Mose adpellatos *Lucem*; ex quo arguunt Angelos, non statim ac creatos, *lucem* fuisse, nimirum sanctificanti gratia ornatos. Sed utinam Augustini mentem Schotistae penetrassent! Adprime enim is locus de informitate quoad gloriam accipiendus est, quam deinceps adepti sunt Angeli, non vero quoad gratiam. Etsi enim in gratia creati omnes fuerint, *erat tamen adhuc* (ipsius Augustini verbis

utor *Lib. de Corrept. et Grat. cap. X.*) *quod eorum adderetur beatitudini* ; nempe quod si per liberum arbitrium in veritate perstitissent, praemium ipsius permansionis accepissent. Quam rem et sequenti capite iterum adfirmat, locumque, conclusionis vice, huc adferam : *Angeli Sancti, cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi, et huius mansionis debitam mercedem recipere meruerunt, tantam scilicet beatitudinis plenitudinem, qua eis certissimum sit semper se in illa esse mansuros.*

CAPUT XIII.

ANGELORUM PLERIQUE DEFECERUNT, ATQUE E CAELO HINC TURBATI. SUPERBIAM PRIMUM EORUM PECCATUM FUISSE, EVINCITUR.

I. Ex innumerabili Caelestium Spirituum exercitu, quos summis gratiae donis auctos Deus creavit, plerosque per infandum scelus defecisse, Sacrae Litterae apertissime testantur. Scriptum est enim Lucae *cap. X.* VIDI SATANAM SICUT FULGUR E CAELO CA-

DENTEM. Et Joan. *VIII.* 44. ILLE HOMICIDA ERAT AB INITIO, ET IN VERITATE NON STETIT. Et in *Epist. Petri II. cap. II.* SI ENIM DEUS ANGELIS PECCANTIBUS NON PEPERCIT, SED RUDENTIBUS INFERNI DETRACTOS IN TARTARUM TRADIDIT CRUCIANDOS IN JUDICIUM RESERVARI. Quod item Judas in sua *Epist.* prodit: Deus ANGELOS, QUI NON SERVAVERUNT SUUM PRINCIPATUM, SED DERELIQUERUNT SUUM DOMICILIUM, IN JUDICIUM MAGNI DIEI VINCULIS AETERNIS SUB CALIGINE RESERVAVIT.

II. Partim autem quod sua Angelis inesse córpora crediderint, partim quod ex apocrypho libro Henochi decepti fuerint, non unam fabulam de primo Angelorum peccato plerique veterum Scriptorum narrarunt, quorum placita omnino heic piget memorare. Dicam autem quod ex Scripturis didicimus, quod Patres confirmarunt, quod digna Theologo videntur. Sane enim superbiam proprium primumque caelestium spirituum peccatum fuisse, Isaias in figura Principis Babyloniae testatur *cap. XIV.* DETRACTA EST AD INFEROS SUPERBIA TUA; QUOMODO DE CAELO CECIDISTI LUCIFER, QUI DICEBAS IN

CORDE, IN CAELUM CONSCENDAM, ET SUPER ASTRA DEI EXALTABO SOLIUM MEUM? Et Ezechielis *XVIII*. ET ELEVATUM EST COR TUUM IN DECORE TUO, IN TERRAM PROJECI TE. Quod et perspicue significat Apostolus *I. ad Timoth. III.* quum neophytum ad Episcopatum provehi vetat: NE IN SUPERBIAM ELATUS, IN JUDICIUM INCIDAT DIABOLI.

III. Sed consulamus Patres, an idem de Angelorum horribili clade sentiant. Nemo autem me detineat, quominus Augustinum producam primum, qui in *Tract. ad Ps. CXXI.* vocem *idipsum* explicans, quae unius Dei propria est, quippe semper idem, et incommutabilis, inquit: *Qui voluit ex se habere idipsum, ut quasi sibi esset idipsum, lapsus est. Cecidit Angelus, et factus est diabolus. Propinavit homini superbiam, deiecit secum invidentia eum qui stabat.* In eumdem sensum scripsit Athanasius *Orat. de Virginit. Satanas*, ait, *non propter fornicationem, aut adulterium, aut furtum de caelo deiectus est. Sed superbia ipsum in inferiores abyssi partes praecipitavit.* Quod cum alibi, tum disertissime Gregorius Nazianzenus confirmat *Carm. VI. Arcan.*

Ideo primus omnium Lucifer sublimè elatus,
Quippe magni Dei Regium honorem
Sperabat, decus habens excellens, perdidit splendorem,
Et cecidit huc inhonorus.

His concinit Ambrosius *Lib. IV. Epist. XXXIII. Sive in lapsu diaboli, sive in praevaricatione hominis, initium peccati superbia est.* Hieronymus vero in *Cap. XVI. Ezech.* superbiam proprium diaboli primumque peccatum adpellàt. Cyryllus etiam in II. *Commentarior. in Isaiam*: *Lucifer cecidit, et comminutus est, tumida et turgida cogitans.* Eodem modo Theodoretus *Serm. III. contr. Graec. Diabolus, et daemonum turma, superbiae et arrogantiae morbum admittentes, in deterius conversi sunt, ac priori ex sorte ceciderunt.* Idque ipsum pereleganter expressit Alcimus Avitus:

Tamquam conditor esset,
Ipse sui, tabido concepit corde furorem,
Auctoremque negans, Divinum consequar, inquit,
Nomen, et aeternam ponam super aethera sedem
Excelso similis, summo nec viribus impar.

Eximia sunt porro Paschasii, Bernardi, Fulgentii, et Gregorii Magni testimonia, cuius postremi verba non duco praetereunda. Inquit enim *Moral. Lib. XXXIV. cap. XVII. Qui caritatem eius imitari debuit subditus ambiit eius celsitudinem, et hoc quod imitari, poterat, amisit elatus. Celsus nimirum esset, si ei qui veraciter celsus est inhaerere voluisset. Celsus esset, si participatione verae celsitudinis contentus fuisset. Sed dum privatam celsitudinem superbe appetit, iure perdidit participatam.* Ohe nunc, mortalis quicumque sies, viden ut cedrus imis e radicibus convulsus cecidit! Nec tanta tu exterrefactus ruina, superbis usque? vel in quo superbis ulula abiens?

CAPUT XIV.

DAEMONUM PRINCEPS, CUR DIABOLUS, ET SATAN DICATUR. AN LUCIFERI NOMEN EI PROPRIE TRIBUENDUM. BELZEBUB CUR DICTUS. QUOMODO IN PECCATUM ALIOS TRAXERIT.

I. Cecidit igitur Angelus, et repente factus est diabolus, secumque turbam Angelorum traxit innumeram. Perduellionis iste pessimus architectus, demonumque antesignanus, passim in Scripturis diabolus audit, quem vere *αντικειμενον adversarium* interpreteris. Unde factum quoque illi nomen *Satan*, quod item adversarium sonat, siquidem et Dei sui consiliis, et hominum saluti adversetur.

II. Tametsi vero *Luciferi* nomen ex Isaiae loco principi daemonum vindicatur, exploratum tamen cunctis arbitror, non eam ibi tamquam propriam adpellationem poni, sed ad comparationem, et similitudinem, quod, phosphori instar, eximio splendore nitesceret, antequam *Vesper ex Lucifero fieret*, ut ait Hieronym. *Comment. in Isai.* Quemadmodum

nec filium Dei quis certe diabolum proprio nomine adpellet, licet in eodem Isaiae loco filius Dei dicatur: QUOMODO CECIDISTI DE CAELO FILI DEI? Quum igitur antehac splendore et decore suo vere Lucifer esset, postea in tenebras splendore amisso evasisset, non Lucifer adhuc, sed vera caligo dicendus est, ut opportune inquit Gregorius Nazianzenus *Orat. de Nativ. Ille ob splendorem Lucifer, qui propter superbiam caligo, et effectus est, et nominatur.*

III. Porro et aliis nominibus in Sacris Litteris diabolus indicatur, veluti *princeps huius mundi. princeps tenebrarum, princeps potestatis aëris huius, serpens, draco*, quibus postremis eius malitia adprime significatur, quemadmodum et nomine *Belzebub*, quod *principem muscarum* sonat, quippe is in vexandis hominibus muscarum et audaciam, et ingenium referat (14).

(14) Nemo certe mirabitur diabolum *Belzebub* dictum, nempe *Principem muscarum*, modo belluarum istarum indolem pessimam adtendat. Sane Homerus *Iliad. XVII. v.* 570. Minervam Menelao ingenium muscae instillantem inducens, inquit:

Και οι μυιης θαρσος ενι στηθεσσιν ενηκεν,
Ητε και εργομενη μαλα περ χροος ανδρομεοιο

IV. Defectionis autem principem diabolum, praestantissimum inter ordines Angelorum

---

Ισχαναα δακεειν, λαρον τε οι αιμ' ανθρωπου.

Atque olli in pectus muscae inscrit ingenium audax,
Quae etsi terque quaterque hominis de corpore abacta,
Mordet adhuc: tanta humani est dulcedo cruoris.

Sed praeter hanc, mire diabolo sedent et aliae muscarum significationes. Horapollo enim tradit, Aegyptios *impudentem* signare volentes, *muscam* pinxisse, quod nempe pro sua impudentia iterum iterumque abacta, semper redeat. Quis autem Diabolo impudentior? modo illum abigis, mox audentior redit. Atque opportunitatem nacti, Plautum interpretabimur, qui in *Poenulo Act. III. Sc. III.* 76. *Hospitium sine muscis* dixit, muscas certe intelligens αυτοματους illos, qui alienis conviviis importune, et impudenter sese ingerunt, quo sensu etiam μυιας *muscas* offendisse memini apud Antiphanem. Ecquis autem, diabolo importunior, impudentiorque, nostris se se ingerit, miscetque rebus? Accedit quod Plautus idem *Mercat. Act. II. Sc. III.* 26. *Muscam* adpellat hominem curiosum, qui omnia perscrutatur. Quis autem diabolo curiosior? Atque heic non praeteream vernaculam Siculorum phrasaeologiam *dar la mosca*, quum creditor debitorem persequitur,

fuisse, non obscure significant Patres, Tertullianus in primis *Lib. III. contr. Marcion.* et Augustinus *Lib. XI. de Genes. ad Litter.* Eiusmodi vero praestantiam eo Jobi loco *cap. XI.* exprimi putat Esthius, ubi sub typo Bemot de diabolo dicitur: IPSE EST PRINCIPIUM VIARUM DEI. Quam excellentiam et indicare videtur Ezechiel *cap. XIII.* sub typo Regis Assueri: CEDRI NON FUERUNT ALTIORES ILLO IN PARADISO DEI; OMNE LIGNUM PARADISI NON FUIT ASSIMILATUM ILLI, ET PULCHRITUDINI EJUS. Ex adverso autem diaboli praestantiam adprime negat Gregorius Nyssenus, qui ex imis illum ordinibus fuisse putat; negat Cassianus, et Cyrillus, qui omnium supremos ponit Seraphimos, diabolum vero ex Cherubinis unum existimant. Neque licet ex allegorica Ezechielis, et Isaiae interpretatione firmitudinem priori sententiae arcessere. Scitissimum enim est Augustini effatum illud *Epist. XLVIII. Quis non impudentissime*

---

usque dum volens nolens eius molestia coactus, aes solvat. An aliquem molestiorem dicas diabolo, qui nos noctu diuque vexat, persequitur, vel si quid peius est? Haec aduotasse non piget, quidquid alii de Belzebub originatione contendant.

nitatur, aliquid in allegoria positum pro se interpretari, nisi habeat et manifesta testimonia, quorum lumine illustrentur obscura.

V. Quomodo autem Angelorum iste coryphaeus Angelos ceteros qui daemones, et Angeli eius dicuntur, in defectionem traxerit, atque princeps perduellionis exstiterit, nonnisi meris coniecturis multifariam datur explicare. Nam haud absurde suspicari potest, exemplo suo ceteris praeivisse, ut ipsi quoque principatum adpeterent, et aequalitatem cum Deo adfectarent. Vel verisimile illud etiam, quod ceteris auctor fuerit, ut Deo, quem nondum videbant, relicto, honorem Deo debitum sibi referrent. Coniectarunt amplius alii, illum reliquos hortatum esse, ne in administrandis creaturarum rationibus Dei facerent mandata; vel ne cuiusquam subiicerentur imperio. Eoque factum, ut Dei iussu ipsius diaboli subessent potestati, servitioque, ut non excussisse iugum, sed ferreo plane, durissimoque cervices subiecisse viderentur.

CAPUT XV.

DAEMONUM PLAGAE NUMERANTUR. NONNULLA DE INFERORUM IGNE.

I. Superbiae igitur merito ex altissimis caeli sedibus turbati daemones in infernum detrusi sunt, aeternas defectionis poenas luituri. Non una autem et poena, et plaga horrendum facinus sequuta est. Nam etsi nihil in naturae viribus detrimenti subierint, quandoquidem Dionysio testante *Cap. IV. de Div. Nom. Quae per naturam sunt incorruptibilia, per peccatum corrumpi non possunt*; multis tamen tenebris eorum obsita est mens, ut proprio veluti nomine *tenebrae* dicantur *Luc. XXII.* HAEC EST HORA VESTRA, ET POTESTAS TENEBRARUM. Et in Apost. *Epist. ad Ephesios* 1. MUNDI RECTORES TENEBRARUM HARUM. Vnde Anastasius Sinaita *Lib. IV. Exaëmer. Daemones, inquit, in abyssum missi, expertes sunt caelestis luminis, et illuminationis.*

II. Alteram plagam in voluntate acceperunt daemones, quae per malum adeo in malo obfirmata est, ut nequeant malo non adhae-

rere. Quamobrem *Spiritus mali*, et *Spiritus nequam* passim in Scripturis adpellantur, veluti 1. *Reg. XVI.* SPIRITUS DOMINI MALUS ADRIPIEBAT SAUL. Et *Ps. LXXVII.* IMMISSIONES PER ANGELOS MALOS. Hinc S. Ignatius *ad Philippenses*: *Sapiens*, ait, *est daemon ad male faciendum, bonum autem quid sit, ignorat.* Quo facit et insignis ille Fulgentii locus *Lib. de fide ad Petrum cap.* III. *In quo igne omnes illi praevaricatores Angeli nec mala umquam possunt voluntate carere, nec poena, sed permanente in eis iniustae aversionis malo, permanet etiam iustae retributionis aeterna damnatio.*

III. Quae autem in Diabolo et Angelis eius tantae obstinationis caussa sit, prorsus inter Theologos non videtur constare, et alii alia sentiunt. Ego autem illud vero duco similius, in omnibus damnatis, sive Angelis, sive hominibus, eam oriri ex gravissima et perpetua tentatione; et I. quidem ex acerbissima tristitia ob amissam beatitatem. II. ex acutissimis conscientiae stimulis, quibus perpetuo lacerantur, nam *Marc. IX.* VERMIS EORUM NON MORITUR. III. ex intolerando ignis tormento. Demum ex adsidua rabie, ac desperatione, quod tot tantique longe acerbissimi cruciatus nullam vel diminutio-

nem, vel finem umquam nacturi sint. Ex quibus reprobi eo in Deum odio feruntur, moventurque, ut voluntas pessime adfecta, quocumque et auxilio gratiae destituta, peccandi necessitatem superare non possit.

IV. Hinc ad alteram, quam acceperunt plagam, nec opinantes devenimus. Heu plaga intoleranda! In tartara enim praecipitati sunt, igni aeterno in aeternum cruciandi, illi nimirum igni, de quo Christus Dominus dixit: QUI PARATUS EST DIABOLO ET ANGELIS EJUS. Vnde Petrus in *Epist. II. cap. II.* SI DEUS ANGELIS PECCANTIBUS NON PEPERCIT, SED RUDENTIBUS INFERNI DETRACTOS, IN TARTARUM TRADIDIT CRUCIANDOS IN JUDICIUM RESERVARI. Et Judas in *Epist.* ANGELOS QUI NON SERVAVERUNT SUUM PRINCIPATUM, SED DERELIQUERUNT SUUM DOMICILIUM IN JUDICIUM MAGNI DIEI VINCULIS AETERNIS SUB CALIGINE RESERVAVIT. Atque hic ille locus qui *Marci XV.* gehenna ignis adpellatur, et *Apocalyps. XIV.* et seq. stagnum ignis ardentis, et sulphuris dicitur.

V. Quod autem inferorum ignis in propria significatione accipiendus sit, non vero metaphorice, adprime quidem invicte-

que probat constans in Sanctis Scripturis loquendi genus. *Deuter.* *XXXII.* IGNIS SUCCENSUS EST IN FURORE MEO, ET ARDEBIT USQUE AD INFERNI NOVISSIMA. Sic et *Eccl.* *VII.* VINDICTA CARNIS IMPII IGNIS, ET VERMIS. Itemque *cap.* *XXI.* CONSUMMATIO ILLORUM FLAMMA IGNIS. Et *Isaiae* *XXXI.* QUIS POTERIT HABITARE CUM IGNE DEVORANTE? CUM ARDORIBUS SEMPITERNIS? Praeterea *Matth.* *III.* OMNIS ARBOR, QUAE NON FACIT FRUCTUM BONUM, EXCIDETUR, ET IN IGNEM MITTETUR. Et *Marci IX.* IGNIS NON EXTINGUITUR. Sic et in *Epist. ad Thessalon.* IN FLAMMA IGNIS DANTIS VINDICTAM; tum *Apocal.* *XI.* in *Ep.* *II.* *Petr.* 3. et *Judae v.* 7. quibus Supremi iudicis praeponderat sententia: DISCEDITE MALEDICTI IN IGNEM AETERNUM. Quis enim sibi suadebit, iudicem adversus reum sententiam dicentem, metaphorice loqui?

VI. Qui tamen fieri possit, ut corporeus ignis spirituales substantias cruciet, mirum, et ineffabile videtur Augustino *Lib. XII. de Civ. Dei.* *Adhaerebunt*, inquit, *spiritus corporeis ignibus cruciandi miris, et ineffabilibus modis.* Vt autem id explicarent Theo-

logi, alii aliam institere viam. Nonnullis enim visum est, non per naturalem, sed per *intentionalem* actionem ab igne cruciari spiritus; quod enimvero cum proprietate sermonis Scripturarum nullo cohaerere pacto videtur; nam tunc non tam ab igne, quam a sua ipsorum cogitatione daemones torquerentur. Alii per alligationem cruciatum illum explicant, docentes igne cruciari daemones, quod eo colligati, constrictique teneantur. At eodem modo cruciari deberent, quacumque demum re materiali, aut corporea vincti essent daemones, neque ulla in eo ignis actio desideraretur. Alii demum qualitatem quamdam spiritualem ab igne in Spirituum substantiam immitti putant, quam nos sententiam Suaresio auctori explicandam relinquimus.

VII. Equidem in ea sententia semper fui, iisdem nos ambagibus urgeri in explicanda vi ignis inferni ad spiritus afficiendos, quam in explicanda ratione, qua anima corporis motibus et actionibus affici possit. Tam enim in inferis spiritus est, qui in igne torquetur, quam in corpore anima est, quae, igne admoto, dolet. Quemadmodum ergo ex summi Dei legibus, quibus statuit, ut ex corporis affectionibus spiritus afficiantur, animae dolores ex corporibus inflictos explicamus, ita

cruciatus ab igne corporeo spiritibus inflicti, ex statutis a Deo legibus, ex voluntate ipsa Creatoris repetendi, cuius nimirum voluntas omnipotentia est.

VIII. Porro autem nihil ex Platone animarum μετεμψυχωσιν *transmigrationem* adstruente, easque post varias transmigrandi vias ad pristinam conditionem revocante, hausit Origenes detestabilius, quam quod *Lib. I.* περὶ ἀρχ. *cap. VI.* expressit daemonum scilicet supplicia non fore sempiterna, sed eos aliquando per poenitentiam restituendos, ut narrat, damnatque S. Synodus. Non enim aliud Sacris Litteris, et Christianorum sensui adeo videtur adversari. Nam *Matth. X.* ubi iudex sententiam pronunciabit: *Discedite a me maledicti in ignem aeternum*, statim subiungit: *et ibunt hi in supplicium* AETERNUM, *illi autem in vitam aeternam.* Quod item Apostolus docet *Epist. ad Thessal. cap. I. et poenas dabunt in interitu* SEMPITERNAS *a facie Domini.* Et Judas Ap. *quibus procella tenebrarum servata est* IN AETERNUM.

IX. Quamquam vero daemones omnes in tartara sint praecipitati, ibidem igni aeterno cruciandi, non tamen inferis sic addicti sunt, et affixi, ut inde tamquam e carcere num-

quam exeant ante ultimum iudicii diem. Constat enim plurimos ex dispensatione divina per aëra discurrere. Vnde *Jobi cap. I.* Satan dicit se circuisse universam terram, et ab Apost. Paullo *ad Eph. II.* Princeps potestatis aëris huius adpellatur. Quemadmodum enim paterfamilias noctu canem laxat ad custodiendam domum, et arcendos latrones; ita Deus e carcere infernali solvit daemones, tum ad excitandam electorum sollicitudinem, secundum Petri effatum illud *Ep.* I. 5. *Sobrii estote, et vigilate, quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit quaerens quem devoret*: tum ad puniendam peccatorum socordiam, et impietatem. Qui vero in aëre isto caliginoso versantur, quamvis actu non alligentur igne tartareo, tamen vel ex eo quod sempiternis se ignibus destinatos sentiunt, nihil quidquam eorum poena minuitur; sicut nec gloria bonorum Angelorum, quum e caelo ad nos descendunt. Insignis est Vener. Bedae locus *Comment. in Cap. III. Epist.* 5. ubi de daemonibus ait: *Suarum secum ferunt semper tormenta flammarum, instar febricitantis, qui etsi in lectis eburneis, etsi in locis ponatur apricis, fervorem tamen vel frigus insiti sibi languoris evitare non potest.*

CAPUT XVI.

DE TENTATIONIBUS DIABOLI.

I. Mirum sane est quousque impudentiae nostrorum temporum sapientes devenerint, ut non aliter se expedire putent a diaboli metu, quam illum negando, cuius durissimum sustinent imperium. O caecos usque et usque! Vel quae enim excidia, quae vel calamitates Scripturae nobis non innunt a diabolo sollicitatas? Quis et miserandam primorum parentum non sentit plagam, quos subdolus seduxit Spiritus? Quid porro non Job perpessus est, usque et usque a maligno spiritu tentatus? Sufficeret sane illud, quod nec a Domino nostro IESU Christo Dei filio conatus suae fraudis abstinuerit. De Juda autem scriptum est in Evangelio *Joan. XIII.* 2. CUM DIABOLUS IAM MISISSET IN COR, UT TRADERET EUM IUDAS quo loco ubi vulgata legit *misisset*, Graecus textus habet *iaculatus esset.*

II. Quod autem Christus Dominus dixit *Joan. XII.* 31. principem huius mundi eiiciendum foras, id non ita intelligendum,

velut si omnis illi adempta sit nocendi facultas, sed quod per gratiam Christi Salvatoris nostri arma nobis suppeditata sint, quibus stare adversus insidias diaboli valemus, ut Apostolus docet *ad Ephes VI.* 11. Atque huc pertinent quae Patres aiunt; potissimum vero S. Joannes Chrysostomus (*Hom. de Diabol. tentatore*) *daemonem illabi in mentes hominum, malas cogitationes immittere, atque ipsa corda nostra incendere.* Idque Deus eo permittit, ut boni probentur, improbi puniantur. Nos enim gratia IESU CHRISTI armati, daemonis conatibus, machinationibus, insidiis resistere semper possumus, secundum Apostoli doctrinam *I. ad Cor. X.* 3. FIDELIS DEUS, QUI NON PATIETUR VOS TENTARI SUPRA ID, QUOD POTESTIS.

IV. Atque haec, quae de Angelis dicerem, habui, partim ex S. Scripturis ducta, partim ex Patrum traditione, non raro etiam ex Theologorum placitis. Deum autem, qui facit Angelos suos spiritus, rogamus, ut nos etiam ministros suos caritate succendat, atque flammam ignis efficiat; ut cum illis in communi Patria dominico veritatis, et aeternitatis fonte aliquando saturemur. Amen.

LIBER QUARTUS

DE DEO CREATORE

PARS II.

DE SEX DIEBUS CONDITI ORBIS.

DIATRIBA

ΠΑΡΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ

DE MOSAICAE COSMOGONIAE VERITATE.

I. Mosaicam Cosmogoniam interpretaturi, vel in ipso exordio opus est, ut incredulis fauces perstringamus. Quum autem de Mosaicorum librorum veritate multa a nobis, et fortasse fusius, quam par erat, in nostro *FRODROMO THEOLOGICO* dicta sint, qui si Deus faxit, postremus omnium prodibit, nunc nonnisi cupedias quasdam unde unde conrasas, quae Mosaicam Cosmopoëiam proximius tangunt, et quas incredulorum gustu, desiderioque dignas magis reputamus, libare mens est.

II. Sane enim quae Tullius *Tuscul. Lib. I. cap. XII.* de antiquitate inquit: *quae quo propius aberat ab ortu, et Divina progenie, hoc melius ea fortasse, quae erant vera cernebat*, satis adposite Mosaicam de Mundi ortu narrationem verissimam ostendunt. Quum

enim Moses paucis admodum aetatibus (tunc namque μακρόβιοι *longaevi* erant mortales) ab Adamo, ac rerum exortu abfuerit, profecto nec ipse in huiusmodi historia falli, nec imponere suis aequalibus impune potuit, qui quam a maioribus, iisque mundi exordio proprioribus, acceperant narrationem, scite callebant.

III. Ponderosissimum autem omnium argumentum ex eo adversus incredulos conficimus, quod innumeras non quidem ab Judaica religione, sed aliunde nobis suppetant antiquorum testimonia, quibus vetustissimam apud omnes gentes de mundi origine famam cum Mosaica narratione convenire adprime constat. Et ut a Phoenicibus ordiar, fuit quidem, estque adhuc illustre nomen Sanchuniathonis Phoenicis, aequalis (ut perhibetur) Gedeoni iudici Israelitarum, plus nimirum duobus ante Troiam captam saeculis. Hunc Philo Judaeus ex Phoenicia lingua Graece fecit loquentem, cuius et lacerae hodie reliquiae apud Porphyrium, Origenem, et Eusebium supersunt. Insigne in primis istius fragmentum illud est, quod Eusebius in *Praeparat. Evangel. Lib. I. cap. X.* profert: *Phoenicum Theologia principium huius universi ponit aërem tenebrosum, et spiritalem, sive spiritum aëris tenebrosi, et chaos tur-*

bidum, *ac caligine involutum*. Mox aliquibus intertextis, subdit: *Luce illustratus est limus*, *et sol*, *et luna*, *et stellae*, *et astra magna*. Tum post paucula: *Ex Colpia vento*, *et eius uxore Baau* (*quam Graeci νυκτα noctem*) *aevum*, *et primogenitum procreatos*. Haec quicumque sedulo consideret, licet aegri somnio similiora putet, plura tamen sub fabulae involucro Mosaicis consentanea inveniet. In Mose enim habes statim in principio *tenebras*, habes et *Spiritum*, habes *lucem sole priorem*, habes *Baau*, quae ipsissima Mosis vox est: TERRA ERAT THOHU VOHU, et V in B verso BOHU. Denique habes *Colpiam*, puram putam Hebraicam vocem ex tribus constantem monosyllabis קוֹל פי ה *kol pi jah* idest *vox oris Dei*, illam scilicet, per quam omnia principio extiterunt, ut Moses *Cap. I.* narrat. Quod autem Sanchuniaton inquit, ex Colpia (voce oris Dei) et Bou (Ovo) sive nocte, aevum, et primogenitum procreatos, abunde ex eo intelliges, quantum Mosi consentiat. Nam voce Dei, per quam omnia facta sunt, ex tenebris *primogenita* rerum creatarum erupit lux, et creatum est *aevum*, nimirum ex nocte, et luce dies primus extitit, et tempus procedere coepit.

IV. Antiquae porro famae de mundi creatione documenta tum ex Orphica Theologia, tum ex Tyrrhenica abunde nobis patent disertissima. Ab Orphicorum ordiar fragmento, quod Suidas servavit in Ὀρφεύς, tum Jo: Malela *Lib. IV.* et Cedrenus, cuius postremi verba Cl. Scaliger multis purgata naevis, Eusebii Chronico subiecit. In eo autem ita scriptum: *Gedeonis aetate fuit Orpheus Thrax, Lyricus, Odrysius, sapientissimus, ac celeberrimus poëta. Is theogoniam, mundi creationem, hominumque formationem exposuit.* Heic autem nonnulla interserit, ac recitatis quinque Orphei versibus, quibus poëma initium ducebat, e vestigio subdit: *At versus reliqui propter multitudinem omissi fuerunt. Verum inter cetera haec Vates canit: principio aetherem a Deo fabricatum in mundo apparuisse: ab utraque vero aetheris parte fuisse chaos, et noctem caliginosam, qua quidquid infra aetherem esset, occuleretur. Per quod vates significat noctem ceteris fuisse priorem* (ita sane Moses tradit in sua Cosmogonia). *In eadem expositione adfirmarat, esse quemquam incomprehensibilem, omnibusque rebus superiorem, et antiquiorem, et rerum omnium conditorem, tum ipsius aëtheris, tum omnium, quae infra*

aetherem (vides ecquod id praeclarum testimonium) *Terram vero prae tenebris fuisse* αορατον *invisibilem* (nihil expressius, disertiusque ! ipsi enim LXX. interpretes *Genes.* I. 2 habent γην αορατον *terram invisibilem*) *Sed lucem aethere a se perrupto omnia condita illuminasse : per id significans, per lucem illam id plane intelligi, quod omnibus rebus superius ante dixerat. Atque huius lucis nomen oraculo sibi fuisse revelatum idem Orpheus edidit, nempe* Μητις *Consilium*, Φως *lumen*, Ζωοδοτηρ *vitae dator. Ac praeterea in eadem sua expositione dixit, tres hasce divinas Nominum Virtutes, unam esse Virtutem, unamque potentiam, hoc est Deum, quem nemo videt, eiusque virtutis speciem, aut naturam nemo valet cognoscere : at interim ex ea Virtute orta fuisse universa, tum incorporea principia, tum solem, et lunam, et horum potestatem, tum sidera omnia, terramque, et mare, et quaecumque in his, sive sub visum cadunt, sive minus. Hominum porro genus ab ipsomet Deo de terra formatum narrat, a quo eos animam ratione praeditam accepisse, non secus ac Moses exposuit. Atque idem Orpheus in suo libro ita plane constituit, per eadem tria illa nomi-*

na unius Deitatis, facta fuisse omnia, Deumque ipsum esse omnia. Porro de genere humano tot calamitatibus implicito Orpheus idem plures versus edidit, ex quorum numero sunt qui sequuntur: cet. Confersis Scaligerum in Eusebii Chronicon.

V. Sane haec quicumque legat, quo de fonte ista biberit antiquissimus quisquis ille fuerit Orphicae κτισεως Κοσμου auctor, vel nullo monitore intelliget, adeo enim omnia cum Mosaica cosmogonia plane conveniunt. Quamvis autem non tantum Gedeonis aetate, et et Troicis temporibus longo intervallo Orphica carmina sint recentiora, non est tamen, cur de eorum vetustate dubites, quum ex Suida constet in Ορφευς, nonnulla eius poemata Onomacrito, qui sub Pisistratidis vixit, Olympiad. nimirum LXV. ut Vossius docet *Lib. de Poetis Graecis*, et alia aliis iisque antiquis, veluti Joni Tragico, Theogneto, Cercopi, Timocli aliisque tribuenda. Quidquid autem Daniel Huetius de Orphicis carminibus statuat, nos quidem magni hac in re facimus Clementis Alexandrini auctoritatem, praeclare de Orphicorum vetustate sentientis. Cui quidem tum Justini, Athenagorae, Tatiani, aliorumque auctoritas, tum ipse Orphicorum stilus accedit, qui se satis

antiquum doctis quibusque et eruditis, et criticis probat. Quid quod illud certe contra Huetium adprime videtur esse decretorium, quod aetate Timothei Chronographi, ex quo Malelas, ac Cedrenus haec descripserunt, integrum poëma extabat, ut ex eius verbis luculentissime patet. An adeo impudentem dicemus Timotheum, ut, dum Orphica carmina circumferebantur, apud eos ipsos qui ea legerant, ista venditasset? Nec stulti sic imponunt stultis.

VI. Orphicae Theologiae Tyrrhenicam subnectimus, quam Suidas adfert in voc. Τυῤῥηνία, quam puram putam Mosaicam crederes: *Apud eos* (Tyrrhenos) *vir peritus scripsit historiam; in qua ait opificem rerum omnium Deum annorum chiliadas rebus a se creatis elargitum, has vero chiliadas assignasse duodecim, uti vocantur, domiciliis: ac prima quidem chiliade caelum terramque fecisse: altera fecisse hoc quod conspicitur, firmamentum, idque Caelum vocasse: tertia mare et aquas, quae in terra sunt, universas: quarta fecisse luminaria magna, Solem, et Lunam, et Stellas: quinta omnem animam volatilium, reptiliumque, et quadrupedum, in aere, terra, et aqua degentium: Sexta vero hominem. Igitur sex quidem pri-*

mas chiliadas praeteriisse , reliquas vero sex duraturum hominum genus : ita ut totum consummationis tempus chiliadibus duodecim absolvatur. Sane vel prima fronte quisquis hanc audiet narrationem , et fabulas in veritate , et veritatem in fabulis deprehendet. Agesis , tollamus quidquid de Tyrrhenorum peculiari traditione huc contulit Tyrrhenus homo , tollamus duodecim illas οἴκους *domus* (sc. astrologicas) tollamus duodecim chiliadas annorum , et in reliquò vides , quanta sit inter Tyrrhenicum istud mundi opificium , et Mosaicum consensio. Nisi quod et illud superest discriminis , quod sex illos singulares dies , quos in mundi creatione Deum impendisse Moses narrat , in totidem millenos annos Tyrrhenus vertit. Sed fortasse haec Suidas ex Judaeo aliquo exscripsit , qui Tyrrheni historici verba ad suum errorem adcommodavit ; compertissimus enim illorum error est , qui a Mundi creatione ad eius consummationem sex millia annorum decursura credebant. Quidquid sit , tantum Tyrrheni hominis cum Mose consensum nemo mirabitur , modo exploratum habeat Tyrrhenos a Chanaanitide profectos. Verum hac de re plura nos in *Disssertatione I. de Origine Venusiae* , pag. 216. et seq. inserta nostro operi

Iter Venusinum vetustis monumentis illustratum.

VII. Sed prandio expediti exquisitissimas iam nunc colligamus micas. Et primo quidem ab rerum omnium Caussa Efficiente ordiamur, unde et exorsus Moses: *In principio creavit* DEUS *caelum et terram.* Hanc vero caussam consensu gentium disertissime omnium explicat Maximus Tyrius *Dissert.* I. *In tanta pugna ac discordia, et discrepantia, unam videas per terras omnes legem famamque consentientem, Deum esse unum, rerum universarum Patrem, et regem. Haec et Graecus dicit, et dicit barbarus, dicit qui in continentibus terris, dicit qui in oris maritimis habitat, et sapiens, et insipiens.* Unde Antisthenes apud Lactantium *Lib. I. cap. V.* Deum *summae totius artificem* adpellat, quod elegantissime Sophocles expressit:

Unus profecto est, unus est tantum Deus,
Caeli terraeque machinam qui condidit,
Vadumque ponti caerulum, et vim spiritus.

Extant et apud Clementem Alexandrinum *Stromat. Lib. V.* vetustissima Orphica car-

mina, quorum non minus insignis, et expressa est sententia:

Fictorem conspice mundi:
Unus is aeternus; suntque omnia facta per unum.
Ipse agitat totam praesenti numine molem,
Mortalis quem nemo videt, videt unicus omnes.

VIII. Porro quod Verbo Dei facta omnia sint, testes habemus ex ipsa gentilitate plurimos. Notum sane Epicharmi carmen:

Et Dei a ratione ratio nascitur mortalium.

Ubi Graece scriptum λογος *Verbum*, *ratio*. Vnde et Zeno in *Lib.* περι ουσιας caussam mundi effectricem λογον *Verbum* adpellat, qua in re Zenonem sequuti sunt Cleanthes, Chrysippus, Archedemus, et Posidonius, quemadmodum Diogenes Laërtius testatur in *vita Zenonis*. Sed egregius omnino locus est Amelii Philosophi de schola Platonis: *Hoc itaque illud* λογος *Verbum per quem semper sunt quae sunt facta, quomodo et Heraclitus censuit: idem profecto quod barbarus ille indicat, in primo rerum conditu, imo et in condito statu Deo adstitisse, per quem omnia omnino facta, in quo id quod sit animal et vitam, et esse suum haberet.* Ex

quibus vides, Joannis Evangelium ab Amelio lectum, et opido probatum; nam barbarus, quem dicit, est Joannes Evangelista, cuius usurpat verba: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum . . omnia per ipsum facta sunt.* Insignis etiam hanc in rem est Chalcidii locus ad Timaeum Platonis: *Et λογος ratio Dei Deus est humanis rebus consulens, quae caussa est hominibus bene beateque vivendi, si non concessum sibi munus a summo Deo negligant.*

IX. Sed iam prope ex mente excidebat hoc alterum Orphicorum praeclarissimum testimonium:

> *Illa mihi testis vox sit, quae prima parenti*
> *Edita, quum totum fundavit iussibus orbem.*

Quam Divinae vocis *ενεργειαν energiam* Jovi Ethenicos tribuisse, insigne Neapolitanum marmor docet in ora Pausilypensi, IOVI FIAZZO positum. *Fiazzus* enim est ipsum Hebraicum עז פי *phi-az* id est *Os forte.* Marmor autem huiusmodi est:

T. FLAVIVS
ANTIPATER
VNA CUM
FLAVIA ARTE

MISIA VXORE
ET ALCIDE LIB
ASCLEPIUM. ET
HYGIAM
JOVI FIAZZO
VOTUM

Cuius in aversa parte scalptum item est: JOVI FIAZZO VOTUM LIBENS SOLVIT.

X. Procedamus ad reliqua. Praeterea enim Spiritu Dei infusam rebus universis vitam, praeter Graecos multos adprime Virgilius docet *Aeneid. VI.*

Principio caelum, et terras, camposque liquentes
Lucentemque globum Lunae, Titaniaque astra
Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, et magno se corpore miscet:
Inde hominum, pecudumque genus, vitaeque volantum,
Et quae marmoreo fert monstra sub aequore pontus,
Igneus est ollis vigor, et caelestis origo.
Seminibus.

XI. Principio autem confusa omnia fuisse Moses tradit: TERRA AUTEM ERAT CON-

FUSIO, ET INANITAS. Id Chalcidius ex Platonicis in Timaei explicatione usurpat, et Linus, quem e Phoenice venisse veteres tradunt, expresse docet:

Tempore primaevo simul omnia mista fuerunt.

Tum et Anaxagoras: *Cuncta simul erant, at mens ea discrevit ornavitque, et quae confusa erant, ordinavit.* Ex Aegyptiorum autem Theologia id ipsum Laërtius profert in *Prooem. Principio esse molem confusam, ex hac discreta elementa quatuor, et animalia perfecta.* Mox vero subdit: *τον κοσμον γενητον και φθαρτον mundum ut ortum ita interiturum.* Horum autem cosmogoniam nemo Diodoro Siculo disertius, enucleatiusque expressit, cuius initium ad rem nostram maxime facit: *Cum primum res universae existere coeperunt, unius vultus fuisse caelum ac terram, permixta eorum natura. Posteaquam discessissent a se ista corpora, mundo contigisse eum, quem nunc videmus ordinem. . . Videtur ab his quae dicta sunt nec Euripides dissentire, qui Anaxagorae physici discipulus fuit. Nam is in Menalippe sic loquitur:*

Figura ut una fuerit et caeli, et terrae:
Secreta quae mox ut receperunt statum,
Cuncta ediderunt haec in oras luminis

Feras, volucres, arbores, ponti gregem,
Homines quoque ipsos.

Reliqua non moror, quae apud Diodorum conferas, quibus si Deum opificem addas, res cum Mose peracta videbitur. Opificem autem Deum eosdem Aegyptios credidisse, adprime Macrobius testatur *Lib. VII. Saturnal. cap. XVI.* ubi de Aegyptiorum cosmogonia: *Natura primum singula animalia perfecta creavit, deinde perpetuam legem dedit, ut continuaretur procreatione successio.* Naturam hic Deum dixit, quemadmodum et Aristoteles; ipsumque quem *Mentem* Anaxagoras in carmine supra recitato adpellarat. Vnde factum ut merito veteribus Graecorum Physicis Anaxagoram praetulerit Aristoteles *Metaph. Lib. I. cap. III.* Verum ante Anaxagoram Thales primus Mentem dixit Deum, de quo Tullius *Lib. I. de Nat. Deor. Thales enim Milesius, qui primus de talibus rebus quaesivit, aquam esse dixit principium rerum; Deum autem eam mentem, quae ex aqua cuncta fingeret.*

XII. Porro ut ad pristinam rerum confusionem revertar, Hesiodi omnium vetustissimi, cuius nimirum aetas par ferme Homero, carmina proferam Θεογ. ν. 116.

Rerum principio chaos extitit, inde secuta est
Terrae planicies, constans habitantibus sedes;
Tartara dein, imo terrae tenebrosa recessu.

Et mox paucis interiectis, ita sequitur:

Inde chaos genuitque Erebum, genuitque nigrantem
Noctem. Ab nocte Aetherque satus; spatiumque diei.

Notanda hic Erebi vox, (Hebraeis *Ereb*, de qua in I. Gen.) quae ad *Vesperam* Mosaicam pertinet, quam diei praecessisse Moses tradit, perinde atque apud Hesiodum Erebus cum nocte *aetheri*, et *diei* praeivit.

XIII. Praeterea chaum, rerumque in principio confusionem diserte Apollonius in Argonauticis cecinit. Sed praeclara omnino, et Hesiodeis proxima sunt Aristophanis carmina in *Avibus*, quorum Lucianus meminit in *Philopatride*, itemque Suidas:

Chaos et nox primum erat atque Erebus nigricans, et tartarus ingens:
Nec humus, nec caelum erat, aut aër.

Chaos autem vocem in Oriente natam, et ex ipso Mosaico fonte defluxisse, nemo profecto

inficiabitur (quidquid Lexicographi dicant) modo Mosaicum illud paullisper attendat: TERRA AUTEM ERAT INANIS, in Hebr. *terra autem erat* THOHU. Verso enim Θ in X, quod in Graecis latinisque vocibus frequentissimum, ex THOHU factum CHOHU, Tuscam sane, sive Tyrrhenicam vocem, quam Graeci postea per Phoenices, et Latini per Tyrrhenos adoptarunt, dixeruntque KAOS. Vnde Cohu apud Ennium habes:

Complere cohum terroribus caeli.

Pluribus in eo confirmando prudens abstineo, quod summa eruditione evicit Alexius Mazochius ad *Gen. I.* 2. *Spicileg. Bibl. tom.* 1.

XIV. Chaos igitur nonnisi materiam inanem, et incompositam significat, quemadmodum interpretatus est Ovidius Naso *Metamorph.* Lib. I.

Unus erat toto naturae vultus in orbe,
Quem dixere chaos, rudis ind gestaque moles:
Nec quidquam nisi pondus iners, congestaque eodem
Non bene iunctarum discordia semina rerum.

Sed quando in Ovidium incidimus, non piget aliqua ex eius Cosmogonia huc adducere, quae cum Mosaico sex dierum opificio con-

sentire adeo videtur, ut pronum sit suspicari, ab Ovidio Septuaginta Interpretum prioris Geneseωs capitis versionem lectam omnino fuisse. Sequitur igitur idem argumentum Poëta:

Quaque erat et tellus, illic et pontus, et aër.
Sic erat instabilis tellus, innabilis unda,
Lucis egens aër: nulli sua forma manebat.
Obstabatque aliis aliud: quia corpore in uno
Frigida pugnabant calidis, humentia siccis,
Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus.
Hanc Deus, et melior litem natura diremit.
Nam caelo terras, et terris abscidit undas.
Et liquidum spisso secrevit ab aëre caelum
Quae postquam evolvit, caecoque exemit acervo
Dissociata locis concordi pace ligavit.

Atque haec ubi enucleatius in sequentibus versibus expressit Naso, tum ita narrationem resumit:

Neu regio foret ulla suis animalibus orba,
Astra tenent caeleste solum, formaeque Deorum;
Cesserunt nitidis habitandae piscibus undae:
Terra feras cepit, volucres agitabilis aër.

Quod autem Moses docet, Deum post editos animantes telluris incolas, Hominem postremo creasse, qui dominetur universae terrae, et animali moventi se super terram, sic Naso paucis exponit:

Deereat adhuc, et quod dominari in cetera posset,
Natus homo est.

Moses praeterea inquit: Creavit Deus hominem in imagine sua, et Naso itidem canit, quod *ille opifex rerum*, *hunc*

Finxit in effigiem moderantum cuncta deorum.
Pronaque cum spectent animalia cetera terram,
Os homini sublime dedit, caelumque tueri
Jussit, et erectos ad sidera tollere vultus.

XV. Sed Nasone misso, quoad hominis creationem pertinet, egregia omnino super-

sunt veterum testimonia, cum Mose adprime convenientia. Ex his insigne illud Eurysi Pythagorei comma in *Lib. de fortun. Hominem corpore similem reliquit, quippe ex eadem constantem materia: sed ab optimo effictum artifice, qui in eo faciendo semetipsum habuit exemplar.* Atque huc fortasse spectat, quod Horatius animam dixit: *Divinae particulam aurae.* Quod disertissimis verbis expressit Juvenalis *Sat XV.*

Sensum a caelesti demissum traximus arce,
Cuius egent prona, et terram spectantia, mundi.
Principio indulsit communis conditor illis
Tantum animas, nobis animum quoque.

Verum hac de re et Tullii testimonium desiderabile esset. Sane is *Lib. XI. de Nat. Deor. Nam*, inquit, *cum ceteras animantes abiecisset ad pastum, solum hominem erexit, ad caelique, quasi cognationis, et domicilii pristini conspectum excitavit.* In quem sensum praeclare scripsit Plato in Alcibiade, et Phaedone.

XVI. Porro hominem ex luto formatum inquit Moses *Genes. I.* nec aliena sensit Euripides in *Supplicib.*

Jam sinite terrae mortuos gremio tègi,

Res unde - quaeque sumpserat primordium,
Eo recipitur; Spiritus caelo redit,
Corpusque terrae: iure nec enim mancupi,
Sed brevis ad aevi tempus utendum datur,
Mox terra repetit ipsa quod nutriverat:

quo respexit et Homerus *Iliad.* H.

At vos in tellurem omnes abeatis et undam.

Romae antiquus lapis in Hortis Mediceis extat (*Grut. p. DCCXXVI.* 1.)

HIC MATRIS CINERES
SOLA SACRAVIMUS ARA
QUAE GENUIT TELLUS OSSA
TEGIT TUMULO

Cui pulcherrimus alter accedit (*p.DCXXXVI.* 12.)

T. VETTIUS T. L
HERMES
SEPLASIARIUS
MAETR GENUIT MATER RECEPIT

XVII. De hominis autem lapsu, deque morte in mundum per hominem inlata, nihil hic dicam; plenissima enim est huiusmodi testimoniis antiquitas. Atque huc facit, quod

mortalitatem non naturae, sed poenae ipsi Gentiles imputarint. Insignis hanc in rem vetus inscriptio erat in templo Dianae Tiphatinae apud veterem Capuam, nunc vero in Danieliano museo, quantivis pretii marmorum confertissimo.

UNA DIES ADIMIT CRUDELI CLADE PEREMPTAS
QUIS ARA HAEC POSITA EST POENA HOMINIS MISERI
FILIA NAMQUE PERIT PERIT
ET MATER EUNDEM
DESERIT ILLA PATREM DESERIT ILLA VIRUM.

XVIII. Praeterea autem ex nocte primum processisse νυχθήμερον *noctiduum* ex Mosaica cosmogonia luculentissime patet. Id quod et veteres adstruunt. Thales Milesius, quem origine Foenicem statuunt, noctem unam priorem die fuisse docet apud Laertium. Hesiodus quoque noctem antiquissimam deorum apellavit, cui Orphica concinunt,

Nox mihi dicetur genitrix hominumque deumque.

Hinc a vespera dies olim putasse Athenienses, locupletissimi testes sunt Gellius, et Macrobius; quod et nos Itali in percensendis horis hodie facimus. Quid quod fuere qui temporis spatia non dierum, sed noctium numero recenserent; id quod de Numidis Nicolaus Da-

mascenus apud Stobaeum, de Germanis Tacitus, de Gallis per Druidas institutis Caesar prodidit *Lib.* VI. *de bel. Gal. Spatia omnis temporis non numero dierum, sed noctium finiunt, et dies natales et mensium et annorum initia sic observant, ut noctem dies subsequatur.* Latini propterea aequinoctia, non item aequidua dicere consueverunt. Atque huc facit, quod Gymnosophista ille apud Plutarchum, diem an noctem priorem putaret, interrogatus, *noctem die uno*, respondit, *absurdis enim interrogatis, oportere et responsa absurda reddi.*

XIX. Demum intra sex dies rerum Universitatem peractam, ubique gentium servata memoria est; nec aliunde tanta septenarii numeri religio apud Ethnicos repetenda, quam ex divina per septimum diem quiete. Fortasse ex eo Jovi factum SABATII nomen, ut Romae in litterato cippo

IOVI OPTIMO MAXIMO
SABATIO
C. CAETRONIUS OCCI
US VALERIANUS MIL
SEMPLAR ARMATURAE
V. S. L. M.

et apud Grut. p. XXII. 6.

Q. NUNNIUS ALEXANDER

DONUM DEDIT
IOVI SABATIO.

Nec enim probo quae de *Sabatii* voce procuderunt eruditi. Sed ut eo redeam unde digressus sum, Josephus *Lib.* II. *adversus Appionem* inquit: *Nulla est urbs Graeca, nulla barbara, quam non pervaserit mos septimae diei, qua Judaei feriantur.* Itemque paucis Philo: *Septima dies, festus est dies non uni urbi, aut regioni, sed Orbi.* Hinc septimum Graecos scivisse, locupletissimus testis est Hesiodus:

Prima dies sacra est, tum quarta, Septima sacrae
Septimo erat rursus lux vel clarissimà solis.

Quod et Homerus non simulavit apud Clementem Alexandrinum *Strom. Lib. V.*

Sacra dies vero post haec tum septima venit.
Septima sacra fuit.

Sed mox omnino egregie:

Septenusque dies fuit, in quo cuncta peracta.
Luceque septima ex ripis Acherontis abimus.

Quibus disertissime Callimachus concinit:

Omnia septenaque die perfecta fuere

Septimus inque bonis, natalis septimus
illi est.
Septimus in primis, perfectus septimus
extat.
Sidereo in caelo septem perfecta fuere
Orbibus, omnia quae apparent volventi-
bus annis.

Septimum vero et scivisse Romanos, Indos, Celtas, et populos quosvis, vel illud argumento est, quod omnibus per hebdomadas digesta tempora, et quod praeterea vetustissima sint dierum nomina, de quibus sane consulendus Claris. Scaliger in prolegomenis ad operosissimum opus *de Emendatione temporum*. Quid quod Dion Cassius *Lib.* XXXIII. morem per septenos dies tempora computandi ab Aegyptiis ad omne humanum genus manasse tradit. Atque vetustissimum omnium hunc morem esse, tum de Graecis Herodotus testatur *Lib.* II. tum de Romanis Isidorus *Lib. V. cap. XXX.* et *XXXII.* Atque haec fusius disputasse non piget, ut adversus impudentissimos quosdam evincerem, vetustissimam apud omnes gentes famam, innumeris alienorum a Judaica religione contestatam testimoniis, eadem habuisse, quae Moses de Mundi origine scripta reliquit. Nunc vero tempus est, ut ad Mosaicam Cosmogoniam accedamus.

HEXAËMERON

SIVE

DE SEX DIEBUS

CONDITI ORBIS.

Adspectabilis' iam nunc Mundi Natalem, Mose praeeunte, explicabimus, quem etsi nemo pro dignitate possit exponere, nec si infinita quidem ora, infinitasque habeat linguas, tanta nimirum est illius maiestas! si quid tamen nostrae valeant vires, Deo utique dante, tentamus; sic autem, ut nihil proprium adferamus, sed universa paene ex Patrum scriptis conrasa. Enarrationis autem ille sit unicus scopus, ut ex mundi huius adspectu, externisque summi Dei operibus ad summam, infinitamque eius perfectionem adsurgamus, et praeclara simul Divinitatis ornamenta, veluti potentiam, magnitudinem, sapientiam, bonitatem magnificemus.

CAPUT I.

In primum Geneseꞷs versum.

IN PRINCIPIO CREAVIT DEUS CAELUM ET TERRAM.

SECTIO I.

(IN PRINCIPIO)

Principii voce quid Moses expresserit, aperitur. Diversae Patrum sententiae proferuntur.

I. Quod Graeci Philosophi αρχην, Latini *principium* dixere, id nimirum, quod rei efficientiam continet (1). Hinc Patres, ut qui

(1) Facit hanc in rem Tullii locus *Tuscul. I. Principii nulla est origo: nam ex principio oriuntur omnia, ipsum autem nulla ex re alia nasci potest.*

in Platonica, Aristotelicaque schola diu se exercuissent, *principium* Mosis philosophice interpretati, λογον *Verbum* Divinum principii voce acceperunt, eo quod λογον *Verbum* artificem mundi fuisse tum ex Scripturis, tum ex Platone, Platonicisque didicerant (2). Re enim vera Basilius *Hom. I. in Haxaëm.* in nomine principii significationem inesse Artificis Verbi docet; et disertissimis verbis Origenes *Hom. I. in Genes. Quod est omnium principium, nisi Dominus noster et Salvator omnium Christus Jesus, primogenitus omnis creaturae? In hoc principio suo h. e. in Verbo suo Deus caelum, et terram fecit.*

II. Ex hac igitur loquendi consuetudine factum, ut in I. Geneseos *το in principio* antonomasticῶs de Filio intelligerent, quemad-

(2) Omnium instar sit Amelius Platonicus apud Eusebium Praep. Evang. *Lib.* XI. *cap.* XIX. qui ubi legit Joannis Evangelium, cuius initio omnia per Verbum facta docentur: *Per Jovem,* inquit, *barbarus iste cum nostro Platone sentit, verbum Dei in ordine* PRINCIPII *esse constitutum.* Quem locum videsis et apud Cyrillum *Lib.* VIII. *contr. Julian.* et apud Augustinum *Lib.* X. *de Civit. Dei cap.* XXIX. Et *Confes. Lib.* VIII. Idem sensit Zeno, quem sequuti sunt Cleanthes, Chrysippus, Archedemus.

modum Christus *Apocal. III.* 14. PRINCIPIUM OMNIS CREATURAE dicitur. Nec desunt Scripturae loca ad eius rei fidem faciendam. Nam Ioannes, qui Evangelio suo idem initium quod Genesi Moses, praefixit (3): OMNIA, inquit, PER IPSUM (Verbum) FACTA SUNT, ET SINE IPSO FACTUM EST NIHIL. Paullus *ad Colos.* I. IN IPSO (Verbo) CONDITA SUNT UNIVERSA IN CAELIS ET IN TERRA, VISIBILIA, ET INVISIBILIA. Et *ad Hebr. I.* QUEM (Filium) CONSTITUIT HEREDEM UNIVERSORUM, PER QUEM FECIT ET SAECULA (4). Falluntur autem Theologorum plerique, qui quod ibidem ex *Ps. CI.* citat Apostolus: TU IN PRINCIPIO DOMINE TERRAM FUNDASTI, a Paullo sic intellectum putant, ut *in principio* idem sit ac *in Verbo*, falluntur inquam, uti constat ex Grae-

(3) Adposite Severianus Gabalorum Episcopus *Hom.* I. *in Cosmopoëiam*: *Vt una*, inquit, *eademque stirps*, *et radix pietatis adpareat*, *et ut germanitate quadam inter se coniuncta duo testamenta videantur.*

(4) Adde *Ps.* XXXII. 6. et CXLVII. 8. et Chaldaeos Parafrastas ad ea loca; nec non ad *Isai.* XLV. 12. et XLVIII. 13. ubi מימרא *memra* i. e. Verbo Dei facta omnia dicuntur.

co κατ' αρχας numero multitudinis, ut et ex Hebraico לפנים *lephanim*, quae non possunt Filio convenire (5). Eodem trahunt et illud Christi *Joan. VIII.* 25. PRINCIPIUM QUI ET LOQUOR VOBIS, quasi Christus ipse principii sibi nomen adsciverit: falso: nam Graeca την αρχην, οτι και λαλω υμιν aliud sonant, id est: *initio dictum fuisse quid ipse sit.*

III. Hanc autem *Principii* interpretationem Clarissimi quique Patres sequuti sunt. Tertullianum in primis constat, adversus haeresim illam, quae Sabellio praelusit, ad Personarum adserendum discrimen, eo Mosaico *Principio* usum. In quam sententiam scripsit etiam Origenes, et Basilius locis supra recitatis. Audiendus autem Ambrosius. *Lib.* I. *Hexaëm. cap.* IV. *In hoc ergo Principio, idest in Christo, fecit Deus caelum, et terram: quia per ipsum omnia facta sunt, et sine ipso factum est nihil.* Quod et Augustinus *Lib.* I. *Gen. ad Lit. cap.* VI. diserte insinuat: *Nam dicente Scriptura*: in principio fecit Deus caelum, et terram; *intelligimus Patrem in*

(5) Potius dicendum, quod Paullo interprete, ad Filium, Caeli et terrae conditorem, sermonem suum Psalmographus converterit.

Dei nomine; *et Filium in principii nomine* . . *dicente autem Scriptura*: Et Spiritus Dei ferebatur super aquas, *completam Trinitatis commemorationem agnoscimus*. His adsentiuntur et Patres alii, quos supervacaneum duco huc advocare (6), nisi quod Hieronymi auctoritas non praetereunda, qui *Lib. Quaest. Hebraicar. in Genes*. eo Psalmi illud adcommodat: IN CAPITE LIBRI *scriptum est de me*, nimirum subdit Hieronymus, *in principio Geneseos*: quae traditio Hebraica etiam in Thargum Hierosolymitano reperitur.

IV Tametsi vero ea Principii notio apud magni nominis Patres pervagata sit adeo, duae tamen aliae supersunt optimae, planissimaeque interpretationes, et ad Mosis mentem adprime consentaneae. Altera est ut *in Principio* tantumdem sit, quod *in principio temporis*, qua Aegyptiorum potissimum dogma convellitur, quippe mundum pari ac Deum ipsum aeternitate donabant. Atque hanc Arabica versio confirmat, ubi: *Primum quod*

(6) S. Methodius apud Photium *Cod.* 235. Beda, Eucherius, Acacius in *Catena*; postremo Hilarius qui ad Ps. II. scripsit. *Berescith, verbum hebraicum, tres significantias in se habet: in principio, et in capite, et in Filio.*

creavit Deus fuit caelum, et terram. Altera ut in principio significet *ante omnia*, nihil ut antea productum intelligatur. Vtraque earum opido plana est, et vera: nec secus homines loqui consuescunt, ut quum Architectus principio fundamenta ponere dicitur, id certe tum initio sui operis, tum ante omnia facere intelligitur.

V. In utramque intelligentiam convenerunt Patres. Tertullianus in primis *Lib. adv. Hermogenem cap. XIX. Nos autem unicuique vocabulo proprietatem suam vindicamus, principium initium esse, et competisse ita poni rebus incipientibus fieri; Ita principium, sive initium, inceptionis esse verbum, non alicuius substantiae nomen.* Tum idem sensit Basilius *Hom. I. in Genes. Hinc proprie Sapiens aggressus sermonem de mundo, nos his verbis edocet eius originem: in principio, fecit, in eo nimirum principio, quod simul fuit cum tempore*; atque Ambrosius *in Hexameron* sua ibi solitus ex Basilio mutuari. Cyrillus etiam Alexandrinus *Lib. II. contr. Julianum* arbitratus est, Mosem ostendere, non carere principio caelum, atque terram, nec eadem ac Deum aeternitate gaudere, *sed in tempore: et principio ad ortum vocante.* Postremo Augustinus tum in *Lib. de Gen. ad*

Lit. tum *Lib. contr. adver. Legis cap.* II. in eum sensum convenit, *ut principium sit, ex quo esse coeperunt. Non enim Deo coaeterna semper fuerunt : sed facta initium, ex quo esse inciperent, acceperunt.*

VI. Quid autem Aquila, ut hoc etiam non praeteream, sua sibi versione velit, prorsus non video. Habet enim: Εν κεφαλαιω εκτισεν ο θεος συν τον ουρανον, συν την γην, *in capitulo creavit Deus simul caelum simul terram.* Alia ponit *in capitulo* interpretando Basilius, et Ambrosius, alia Gregorius Nyssenus, qui illud tantumdem putat esse, quod συλληβδην *in summa*, propterea quod caelo, terraque rerum omnium summa contineatur. Videtur autem ea potior omnium interpretatio, quam apud Philoponum in I. de Opificio mundi nonnulli adponunt, ut illud εν κεφαλαιω *in capitulo* idem sit quod in Septuagintavirali versione εν αρχη *in principio*, metaphora ducta a capite, quod est corporis principium. Sed haec huiusmodi non sunt, ut nos diutius detineant.

SECTIO II.

(CREAVIT)

Mundum ex nihilo creatum a Deo, cum ex Scripturis, tum ex ratione evincitur.

I. Neque inter ipsos Gentiles philosophos defuerunt, qui rerum creationem ex nihilo propugnaverint, quemadmodum ex Aristotelis libro de Xenophane constat, et de Empedocle apud Plutarchum contra Colotem. Philolaus etiam Pythagorae discipulus docuisse perhibetur, Deum ex nihilo fecisse omnia. ad tantam autem confirmandam veritatem aptissimus omnium videtur esse Geneseos locus, quem prae manibus habemus: IN PRINCIPIO CREAVIT DEUS CAELUM ET TERRAM; quod iterum, iterumque Scripturae manifestant, ut in *Ps. CXLVIII.* 5. IPSE DIXIT ET FACTA SUNT; IPSE MANDAVIT, ET CREATA SUNT. Et *Sapient. I.* 14. CREAVIT DEUS UT ESSENT OMNIA. In *Epist. ad Hebr. cap. III.* QUI AUTEM CREAVIT OMNIA DEUS EST; ac demum *Apoc. IV.* TU CREASTI OMNIA, ET PRO-

PTER VOLUNTATEM TUAM ERANT, ET CREATA SUNT.

II. Hebraicam autem vocem ברא *bara* non secus ac de productione ex nihilo Rabbini peritissimi acceperunt. Vnde Numerorum illud VI. quod in Hebraico legitur: *sin creationem creavit Deus*, Aben Hezra interpretatur: *sin rem novam creaverit Deus*. Saepissime enim Hebraei ut huiusmodi ex nihilo creationem ostenderent חדש verbum, quod proprie est *innovare*, de mundi creatione usurpant. Potissimum vero Rabbi Maimonides in *More Nevochim*, quem Cl. Jo: Buxtorfius latine reddidit *P.* II. *cap.* *XXX.*, et Aben Hezra in *Comment. ad I. Genes.* τo ברא *creavit* ad productionem ex nihilo pertinere contendunt. Qua in re plurimum valet S. Hieronymi auctoritas, illius nimirum hebraicae linguae promi condi, qui in *Epist. CXL. ad Cyprianum* inquit: *Creatio est eius, qui prius non erat, conditionis exordium*. Nec alia est Chrysostomi sententia in *Epist. II. ad Cor. Creatio in Scriptura dicitur e nihilo in aliquid productio*. Et Augustinus etiam (*Lib.* I. *de Genes. contr. Manich. cap.* IV.) *Deus rectissime creditur, omnia de nihilo fecisse, quia etsi om-*

nia de ipsa materia formata sunt, *haec ipsa materia tamen de omnino nihilo facta est.*

III. Quid quod voci ברא *bara* vis quanta magna significandae ex nihilo creationis ex initiali verbo בראשית *berescith* accedit, cuius emphasim quisquis recte exprimat, is productionem ex nihilo omnino fateatur oportet. Vt autem supra disputatum *το berescith in principio* nonnisi eo sensu a Mose positum, quam ut significaret *ante omnia*, sive mavis *in primordio rerum. et temporum.* Quae igitur ante omnia, sive in principio rerum, et temporum facta sunt, ex nihilo prodiisse constat. Nihilo enim est ante omnia, nec rerum, temporumque initia quidquam antegreditur.

IV. Sed Genesis locus hic, quem interpretamur, altero Scripturarum loco *II. Machab. cap.* VII. qui interpretatione non indiget, invictissime confirmatur: *Peto nate* (sic filium Mater septem martyrum adloquebatur) *ut aspicias ad caelum*, *et terram*, *et ad omnia*, *quae in eis sunt*, *et intelliges*, *quia* EX NIHILO FECIT (*bara* scriptum, quemadmodum in Mose) ILLA DEUS. Quem locum veluti decretorium Origenes urget *Lib.* II. *περι αρχων cap.* I.

V. Atque id tamen, quod ipsa ratio adprime suadet, veluti rationi adversum, destrue-

re increduli adnituntur. O miseros usque homines, qui dum rationem obiiciunt, mendacium pro ratione obtrudunt. Age vero, consulamus rationem. Quod est increatum, est omnino necessarium, proindeque perfectissimum; quod enim creatum est, ab alio pendet ut sit, increatum vero a nullo pendet, unde contingens esse nequit, sed omnino necessarium. Quod autem necessarium est, idemque perfectissimum sit oportet: quemadmodum enim a nulla pendet caussa ut sit, ita a nulla caussa intra certos perfectionum gradus limitari potest. Porro ecquis adeo impudens, ut vel dicere, vel cogitare audeat, aut mundum, aut primigeniam materiam esse ita necessariam, ut non esse non possint? vel quis desipiens usque mundum ita perfectum dicat, ut nulla ei fieri possit perfectionum accessio? Quin et imperfectiones in hac rerum universitate quotidie videmus insuperabiles, audimus etiam, atque palpamus; et si quae perfecta sunt, possunt utique a mundo seiungi; non igitur mundus, vel materia a se esse potuerunt, sed ab alia caussa. Excute quantumvis caussas omnes, tandem eo devenies, ut et Deum, et cuncta a Deo ex nihilo extracta fatearis.

VI. Porro materia huius Vniversi utcumque immanis, suos tamen magnitudinis fines, suam figuram, certum locum, certum et si-

tum habet. Quod si aeterna, et increata esset, et a se, quis illi certos dedisset extensionis limites? Quis determinasset illius locum, et situm? Cur non maiora, vel minora spatia occupavit? Cur ubique, et perfecte homogenea non fuit? Quis denique illi certum dedisset motum? et quis motum hunc certis adstrinxit legibus? (7)

VII. Hinc sane Plato edoctus suam de mundi ortu sententiam cum alibi, tum disertissime in Timaeo, et Sophista expressit, mundique molitionem ad aeternum Opificem Deum ita retulit, ut non ex aeterna materia, sui coaequali, mundum compegisse putaverit, sed ex nihilo sola sua voluntate eduxisse. Idoneum testem damus Hieroclem in *Lib. de Provident. et Fato*, cuius haec verba sunt; *Haec speculatio, iuxta Platonem, Deum ipsum statuit, omnis adspectabilis mundi opificem, quem e nulla re subiecta artifex eduxerit; quum propria eius voluntas sufficiat, ut res*

(7) I nunc, et credesis pseudo-Mirabodo, qui in detestando opere, *le sisteme de la nature*, sic more suo, deblaterat: *Que la matiere ait pù commencer d'exister, c'est une hypothese, qui iusqu'ici n'a jamaisètè demontrèe par des preuves valables.* Ita nempe desipiunt nostrae aetatis philosophi, et tamen rationis sectatores se venditant.

existant. Quam sane sententiam uno ore Platoni adscribunt non prisci tantum Christiani Scriptores Iustinus, Theophilus, Tertullianus, Minutius, Lactantius, Eusebius, Augustinus. sed Ethnici quoque (8).

VIII. Vel ex his igitur, quae veluti obiter libavimus, vide quantum rationi consentaneum sit fundamentale hoc Religionis Dogma. Id autem in ipso Christianae Ecclesiae primordio adeo celebratum, ut nemini in fidelium societatem venire licuerit, quin publice Apostolici Symboli fidem profiteretur: *Credo in Deum creatorem Caeli, et terrae.* Testis huiusce fidei locupletissimus est Hermas ille, qui primo Christianarum rerum saeculo floruit. Id enim inter potissima religionis capita docet: *Primum omnium crede, quia unus est Deus, qui omnia creavit, et fecit ex nihilo.* Hanc porro eamdem fidem et reliqui Patres omnes in Christiana sapientia subactissimi perpetuo tenuerunt. Vnde in Concilio Lateranensi IV. an. MCCXV. solemniter confirmatum: *Deum esse unum universorum principium, creatorem omnium vi-*

(8) Plura in hanc rem conferas apud Danielem Huetium, virum in doctrina veterum subactissimum *Lib. II. Quaest. Alnetanar. Cap. V.*

sibilium, et invisibilium, spiritualium, et corporalium, qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque DE NIHILO condidit creaturam.

SECTIO III.

(CAELUM ET TERRAM)

Caeli et terrae nomine nonnisi caelum quod intuemur, terramque quam calcamus venire evincitur. Petavianum systema discutitur.

I. Maioris indaginis, quam quis fortasse arbitretur, Mosaicarum *Caeli et terrae* vocum interpretatio videtur, in qua versari diutius, accuratiusque oportet, siquidem inde universa ferme Mosaicae cosmogoniae ratio dependeat. Duas autem patere vias ad earum intelligentiam video. Nonnulli enim verborum proprietati insistentes, caelum, et terram, proprio, quo veniunt, sensu accipi iubent; alii ex adverso, illa procul abire iussa, figuratas notiones inculcant, vel ex eo potissimum ducti, quod Caelum crastina die ,, firmamenti

nomine, fabrefactum Moses narret. Nec illi tamen, neque hi unam ineunt viam.

II. Petavius, qui totus in eo versatur, ut figurate ista accipiantur, cunctorum primo positis placitis, ita tandem sibi videre visus est, ut τo *Caelum*, *et terram* non singulare aliquod opus innuant, quod initio ante sex dies molitus sit Deus, sed generale sit effatum, veluti summa, et compendium eorum, quae mox per partes enunciantur. Porro terram ante lucis exortum fabricatam non recusat Petavius, tametsi eius creationem, sicut et aquarum non hisce verbis indicari doceat, sed sequentibus, ubi *terra inanis*, et *spiritus ferri super aquas* narratur. Quamobrem principio nihil extitisse sibi suasit, praeter terram, terraeque circumfusam tenuissimarum aquarum immensitatem, quae vaporis instar ac nebulae, totum hoc qua latissime patet inane repleverint, quod deinde elementorum, caelestium orbium, interfusique aetheris vastitas occupavit. Atque ex his porro, tellure, et abysso reliqua corpora omnia formata mox per dierum intervalla docet; tum et illud postremo quod aër utrasque aquas disterminans, et universa item aetheris substantia, firmamentum, hoc est *expansum* adpelletur. Atque haec est Petaviani Systematis ratio, quod

ante omnia discutere, operae fortasse non minimum erit pretium.

III. Sane primum id mihi non videtur verisimile, quod Vir Clarissimus in ipso ingressu inculcat, priora verba isthaec nihil quidquam singulare opus continere. Terra enim (cuius creationem luci anteriorem non inficiatur, quamque sequens comma, *terra autem erat inanis* iam existentem supponit) quum nusquam alibi sata dicatur, quid potius inquies, nisi quod in ipso sermonis exordio illius conditum Moses designarit? Porro Petavius sequentibus verbis, *terra autem erat inanis*, veram tellurem notari non negat, eamque ipsam esse, quam initio satam dixerat Moses, adpositis verbis adfirmat. Quod si igitur terra propriam, non figuratam notionem habet; quid ni etiam caelum? Estne credibile primam Mosis sententiam eo vitio laborare, partim ut peculiare opus enuntiet, partim ut sit generale effatum, sive totius operis propositio?

IV. Quod autem Summus Vir ait, ex tenuissimis aquis, et ex tellure omnia deinceps formata, utroque pede claudicat omnino. Ecquis enim sibi umquam persuaserit, tantulam hanc tellurem ad tot caelestia corpora materiam praebuisse, quorum quae minima

sunt, terra pluries maiora reperiuntur? Admirabile autem illud, quod aquarum immensitas tanta, quanta totum antea repleverit mundum, conspissata deinde, tam minimam occupaverit mundi partem, tamque brevia receptacula, ut unum cum tellure globum effecerint. Tum et illud admirabilius, quod, aquis altero die concrescentibus, pars inde expressa subtilior aether evaserit, ut putat; crassior in maria, ac stagna subsederit.

V. Accedit id praeterea, quod lux primigenia nebulosum corpus, quod omnia late permeabat, pervadere nequivisset; quandoquidem ex quotidiano constat experimento, lucem in nebuloso aëre aegre ad aliquot millia propagari. Quod autem de firmamento inquit Petavius, heic non morabor, fusius enim infra, quid firmamenti nomine veniat, aperietur. Haec autem de Petaviano systemate; nunc iterum ex diverticulo in viam.

VI. In alia omnia discedit Augustinus, cuius tenent partes Beda, Isidorus, Caesarius, aliique putantes, *Caelum, et terram* heic nonnisi informem materiam innuere, quam Gaeci υλην *hilen* dicunt, nostri vero *materiam primam*. Eoque Augustinus adducit Sapientiae illud *XI.* 18. ubi Deus mundum creasse dicitur εξ αμορφου υλης *ex informi*

materia. Dolet porro quod Augustinum Petavius divexet : quasi υλην istam formatis rebus tempore priorem fecerit , quum diserte Hypponensis Pontifex originis non temporis antecessionem intelligat. Nam sicut non prius sonus inconditus editur , qui deinde arte accedente in cantum evadat , aut prius informis vox , quae mox in verba formetur ; *ita* (Augustinus inquit *Lib.* I. *de Gen. ad Liter. cap.* XV.) *Creator Deus non priorem tempore fecit informem materiam , et eam postea formavit ; sed quia illud , unde fit aliquid , etsi non tempore , tamen quadam origine prius est , quam illud quod inde fit ; potuit dividere Scriptura loquendi temporibus , quod Deus faciendi temporibus non divisit.*

VII. Secus υλην accipere videtur Nyssenus, *in Hexaëmeron* , quippe non materiam primam , sed rudem indigestamque molem , chaosque poeticum , ea exprimi putat. Quo spectat quod ait , non res initio conditas , sed rerum semina atque corporum ; quasi Deus inconditam corporum congeriem principio protulerit , in qua , velut in summa (9) es-

(9) Aquilae versionem εν κεφαλαιω Nissenus συλληβδην *in summa* explicat , qua de re nonnihil supra memini adnotasse.

sent omnia, quae per dierum exin spatia digesserit, atque expoliverit. In eam lem partem Severianus Gabalorum Episcopus disputat, qui παντων των γενομενων την υλην prima die factum adfirmat, et apertissime omnium Marius Victor *Carmin. in Genes. Lib.* I.

> *Vtque istum faceret dives sapientia mundum*
> *Cuncta simul genuit: sed post haec semina rerum*
> *Ornavit superinductis informia formis.*

VIII. Atque usque modo de figurata *Caeli et terrae* notione dictum. Veniamus nunc ad eos, qui verborum proprietati insistunt. Hos inter iure adcenseas Basilium, Severianum, Diodorum Tarsensem, Damascenum, Bedam (10) et recentiorum plures, qui veriti, ne firmamentum bis effectum videatur, *Caelum heic*, superius illud interpretantur, nimirum beatorum domicilium, quod *Caelum Caeli* in *Ps.* CXIII.

(10) Basilius *Homil. III.* Severianus *Hom. I. in Hexaëmer.* Diodorus Tars. *in Catena Lipomani*, Damascenus *Lib. II. cap. VI.* Beda *in Hexaëmer.* quibus addas Ambrosium *Lib. II. Hexaëmer. cap. III.* et Caesarium *Dial. I. Interrog. LI.*

(in textu Hebraico *Caelum Caelum*) dicitur, et vulgo barbare *Empyreum*; terram autem ita proprie dictam intelligunt. Quidquid vero hinc ad illud sublimius caelum pertinebat, id omne, ad vacui fugam, abysso, seu tenuissimis aquis repleverunt; ex quibus, partim solidatis, crastina die orbes caelestes (veteribus solidi) exstiterint, partim coactis, aquae utraeque prodierint. Verumtamen quis sibi facile suadeat, quod Moses rudi populo ista narraturus, aliud caelum intellexerit, quam quod intuemur? nam superius illud nullis sensibus percipitur, nec nisi theologorum auctoritate statuitur (11).

IX. Porro, ut quid ego sentiam, ingenue fatear, non utique video, cui bono in primis hisce Mosaicis verbis figurae arcessantur, nec quid opus in re adeo plana tergiversationibus. Jamdudum enim in ea sum opinione, *Caelum*, *et terram* (sive prima die, sive ante omnes dies effectam dices) plane hanc ipsam calcabilem terram, atque hoc ipsum caelum esse, quod contuemur. Id quod vi-

(11) Sanctus Thomas *I. Par. Qu. LXVI. art.* 3. de hoc caelo non aliter constare scribit, quam ex Strabi, et Bedae auctoritate, tum etiam Basilii. Sed certum habeo, multo plures eiusdem meminisse, tametsi numquam empyreum nominent.

derunt adprime Theophilus Antiochenus, Nyssenus, Basilius, Epiphanius, Ambrosius, Gennadius (12). Quibus eo nos libentius, alacriusque subscribimus, quo magis simplicissimae Mosis narrationi ea conveniat interpretatio, tum et eius scopo, quippe Hebraeorum animos a divinitate, quam caelo tribuebant Aegyptii, conabatur abducere. Quid quod et ultimum interpretationi huic pondus ex Mosaica repetitione (*Cap.* II.) accedit: *igitur perfecti sunt caeli, et terra*; et rursus: *istae sunt generationes caeli, et terrae.* Ne porro caelum bis effectum aliquis obiiciat, eo quod posthac ortum firmamentum, loco suo patebit infra, firmamenti nomine nonnisi aërem venire.

X. Planissima posita interpretatione, planissimum ponamus systema, Principio Deus ex nihilo creavit tum caelum, nimirum aetheream omnem substantiam, quae ad usque nostram elementarem sphaeram diffunditur; tum terram, in qua et abyssum intelligas,

---

(12) Theoph. Antiochenus *Lib. II. ad Autol.* Gregor. Nyssenus *in Hexaëmer.* Basilius *Hom. III.* Epiphanius *Lib. de mensur. et ponder.* Ambrosius *Lib. II. Hexaëmeron*; Gennadius Massiliensis *Lib. de Dogmat. Ecclesiast. cap. X.*

Psalmista dicente, *abyssus sicut vestimentum amictus eius* (terrae). Tellurem autem rotundam concipias oportet, quum nondum effossa aquarum receptacula fuerint, nec dum montes protuberarint. Quodcumque vero spatii a tellure ad sublime aethera porrigitur, id abyssus, sive tenuatae in modum vaporis aquae, occupaverant, quarum crastina die pars conspissata supra telluris globum coivit, pars vero superior, adhuc instar nubis rarescens, pendula mansit, firmamento, hoc est aëre interfuso, a terrestribus aquis dirempta.

CAPUT II.

In secundum Geneseωs versum.

TERRA AUTEM ERAT INANIS ET VACUA ET TENEBRAE ERANT SUPER FACIEM ABYSSI. ET SPIRITUS DOMINI FEREBATUR SUPER AQUAS

SECTIO I.

(TERRA AUTEM ERAT INANIS ET VACUA)

Terra principio incondita, et inornata. Hebraico textui lux superfunditur. Plura de Graecorum versione. Tum quid sit terra invisibilis explicatur.

1. Tria dumtaxat ante lucis exortum extitisse Moses docet, aetherem nimirum, tellurem, et interfusam abyssum, sed omnia incomposita (13), ut merito chaos poëtis

(13) Potuit utique Deus (inquit Ambrosius

de Mosaico fonte potantibus sit adpellata.

II. Tellus itaque, de qua potissimum sibi loqui proposuerat Moses, *inanis et vacua* in nostra latina versione dicitur, in primigenio autem Hebraico textu תהו ובהו *thohu* et *vobhu*, quae fere synonima Rabbini statuunt, ut sint *vastitas*, *et inanitas*. Non minus expresse Onkelosi Thargum ita reddit, *desolata et vacua*, cui Thargum Hierosolymitanum suffragatur, a quo habetur, et *vacua erat hominibus*, *et iumentis*. In eamdem fere sententiam et Graeci interpretes conspirant, unde Aquila (14), et Theodotio vertunt κενον και ουθεν *inane*, *et nihil*, Symma-

---

Lib. I. Hexaëmer. cap. VII.) *ornatus congruo adsurgentibus donare elementis, sed ideo primo facta, postea composita declarantur, ne vere increata, et sine principio crederentur, si species rerum velut ingeneratae ab initio, non postea additae viderentur. Incomposita terra legitur, et iisdem a philosophis aeternitatis, quibus Deus, privilegiis honoratur. Quid dicerent, si ab initio eius pulchritudo vernasset? Demersa aquis describitur, velut cuidam principiorum suorum addicta naufragio; et adhuc a nonnullis facta non creditur; quid si decorem primogenitum vindicaret?*

(14) Sunt qui Aquilam dicunt in sua interpretatione posuisse ουθεν και ουθεν *nihil et nihil*

chus vero ἀργον, και ἀδιακριτον *otiosum*; *et inconditum.*

III. Nec porro Septuagintaviralis versio praetereunda, quae exquisitiorem profecto postulare videtur indaginem. Habet enim: ἡ δε γη ἠν ἀορατος, και ἀκατασκευαστος *terra autem erat invisibilis, et incomposita.* Cur autem incompositam dixerit terram, arduum non est intelligere. Dicam enim cum Ambrosio (*Lib.* I. *in Hexaëm.* VIII.) *Erat incomposita, utpote solertis agricolae inarata culturis. Erat incomposita, quia nuda gignentium, nec toris herbosa riparum, nec opaca nemoribus; nec laeta segetibus, nec umbrosa superciliis montium, nec odora floribus, nec grata vinetis.* Sed quo sensu invisibilem dixerit terram, est sane cur aperiam. Basilius, Ambrosius, Augustinus hanc adprime non spernendam adferunt caussam, *quod spectator telluris nondum homo processerat*, quodque tellus nebuloso circumfusa corpore delitescebat. Cui et illa eiusdem Ambrosii accedit ratio, *quia nondum lux, quae illuminaret, nondum sol: postea enim luminaria facta sunt caeli.*

IV. At ut ingenue fatear, alia equidem sentio. Nam illud pro certo habeo, *invisibilem* terram septuaginta interpretes pro *infor-*

mi usurpasse; quippe novi, *αορατον invisibilem* idem esse Hellenistis ac *αμορφον informem*. Constat id ex Sapientiae *XI*. 18. ubi quod Graece dicitur, Deum condidisse mundum ex *informi* materia, noster vertit ex materia *invisa*. Vnde et in Epistola ad Hebraeos *XI*. 3. Deus dicitur *ex invisibilibus visibilia fecisse*, nimirum ex informi materia formasse, ac digessisse mundum. Rem subodoravit Severianus Gabalorum Episcopus *Homil*. I. *in Hexaëm*. qui quod heic Septuaginta posuerunt *αορατος invisibilis*, idem esse putavit quod *ακοσμητος inconditus*, sive *inornatus* » quod nondum terra ornata stirpibus; nondum fructibus coronata; nondum succincta fluviis, ac fontibus; nondum reliquo variegata cultu; nondum ad gignendum idonea ».

V. Egregia sane ista Severiani interpretatio nos probe atque manu veluti ducit ad verba illa intelligenda, *terra autem erat inanis et vacua*. Moses enim, qui sermonem ad rudis hebetisque populi captum temperabat, non alio, arbitror, sensu inanem adpellavit terram, quam quod non adhuc urbibus, neque incolis frequentata, nondum stirpibus frugibusque consita, nec aliquo variata cultu et decore, squaleret omnino. In quam sententiam Hieremiae verba *IV*.

23. nos prorsus coniiciunt, qui caeli terraeque vastitatem sic describit, ut paene ad antiquum chaos ea rediisse significet. ASPEXI TERRAM, inquit, ET ECCE (thohu vobhu) VACUA ERAT ET NIHILI, ET CAELOS, ET NON ERAT LUX IN EIS (qui fuerat caeli ante lucis exortus status) INTUITUS SUM, ET NON ERAT HOMO, ET OMNE VOLATILE CAELI RECESSIT. ECCE CARMELUS DESERTUS, ET OMNES URBES EIUS DESTRUCTAE. Quid pluribus opus? Habes Mosaici dicti Hieremiam interpretem.

SECTIO II.

(ET TENEBRAE ERANT SUPER FACIEM ABYSSI ET SPIRITUS DOMINI FEREBATUR SUPER AQUAS).

Nonnulla de abysso adtinguntur. Quid Spiritus Domini nomine intelligendum, pluribus explicatur. Aquas fotu Divini Spiritus foecundatas demonstratur.

I. DE tenebris abysso incubantibus insignis est Jobi locus *XXXVIII*. 9. UBI ERAS

QUUM CALIGINE ILLUD, QUASI PANNIS INFANTIAE OBVOLVEREM. Porro de abyssi creatione nihil diserte a Mose traditum, siquidem ad tellurem tamquam eius atmosphaera, sive *amictus et vestimentum* ex Psalmo *CIII.* referebatur. Constat autem hic eo nomine immensum illud aquarum systema notari, quo tellus occulebatur a principio (15). Aquas autem quum dico, non corpulentiores illas intelligo, cuiusmodi in mari, stagnis, fluminibusque intuemur, sed tenuiores, ferme ut in spissa caligine, ac nubibus observamus.

II. Sequitur autem Mosaicus textus: ET SPIRITUS DOMINI FEREBATUR SUPER AQUAS. Sane Spiritum hunc Hebraeorum plerique ventum elementarem interpretantur, qui vel ideo Spiritus Dei dicitur, ut eius vehementiam intelligas (16). Exploratissima enim sunt Scripturarum effata, *montes Dei*, *cedri Dei*, et alia huiusmodi innumera, ut

---

(15) Haec una interpretum omnium est opinio, quorum non vacat testimonia adducere. Adnotanda Hesychii verba: Αβυσσος περας ουκ εσχεν υδατα απειρα, ακαταληπτα: *Abyssus terminum in profundo non habet. Aquae interminabiles, incomprehensibiles.*

(16) Quemadmodum in Psalmo *In spiritu vehementi conteres naves Thars's.*

quum Ninive *civitas magna Dei* dicitur. Spiritum autem sive ventum ad id a Deo missum arbitratur Aben Hezra, ut aquas exsiccaret; cui Onkelosi Thargum suffragatur. Nec abludere videtur Theodoretus, qui *Interrog.* VIII. *in Gen.*, aërem motabilem, idest ventum hic agnoscit, quemadmodum et Severianus Gabalorum Episcopus, Basilius, Ambrosius, Augustinus censuerunt, quibus praeiverat Tertullianus adversus Hermogenem.

III. Quod autem nonnemo inquit, de aëre utique loqui debuisse Mosem, non ego moror, quippe aërem nondum ex aquis illis tenuissimis expressum constanter teneo, quod postero die accidit, quum firmamentum factum est, cuius nomine aërem venire supra innui, et fusius infra demonstrabo. Potius concedam, venti illius ope, si modo ullus fuit, coepisse aquarum utrarumque, et interfusi aëris, sive firmamenti paullatim fieri divortia.

IV. In eo praeterea alii versantur, ut Spiritus Domini sit η *δυναμις διαπλαστικη vis formatrix*, quam *vitalem Spiritum* Ambrosius, *vitalem creaturam* Augustinus, *vitalem vim*; *et efficaciam* Chrysostomus adpellant(17). Qua

(17) Ambrosius *Lib. I. Hexaëm. cap. I.* Augustinus *de Genes. cap. IV.* Chrysostomus *Hom. III. in Genes.*

quidem vi, efficientiaque divinitus impressa materiae, primigenium chaos in varias formas per dierum intervalla prodiisse, facile coniicies. Quidquid sit, profecto de hoc potarunt fonte Ethnicorum plerique, quibus *mundi anima* non raro usurpatur (18).

V. Postremo *Spiritus Dei* nomine ipsum Spiritum Sanctum hîc designari, expressissime Tertullianus, Basilius, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus docuerunt (19). Vnde Prudentius in *Apotheosi* cecinit:

Qui spiritus olim
Ore superfusus patrio volitabat in undis
Nondum discretis, nec certo littore clausis.

---

(18) Platonici praesertim ex hoc loco animam mundi expresserunt. Vide et quam paria planeque germana sint illa Maronis:

Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, ac magno se corpore miscet.

Confersis quae in Dissertatione Parascevastica hac de re praediximus.

(19) Tertullianus *contr. Hermogen.* Basilius *Hom. II.* Ambrosius *Lib. I. Hexaëmer. cap. VIII.* Hieronymus in *traditionib.* Augustinus in *Libr. Imperfect. de Genesi.*

Quam sententiam calculo suo confirmat Ecclesia in benedictione fontis: *Deus, cuius spiritus super aquas inter ipsa mundi primordia ferebatur, ut iam tunc virtutem sanctificationis aquarum natura conciperet.*

VI. Porro autem illud in praesenti expendendum, quid sit quod Spiritus Dei ferebatur super aquas. Sane Hieronymus in Quaestionibus Hebraicis Judaeorum antiquiorum explicans traditionem, vim vocis מרחפת *merachephet*, quae a LXX senibus vertitur *ferebatur* ex Judaica doctrina interpretatur *incubabat*, *sive confovebat in similitudinem volucris ova calore animantis.* Nam ex Syrorum lingua *racheph* est *incubare* et *fovere* more avium insidentium, quod non recentiores tantum Syri, sed et antiqui agnoscunt, ex quorum fide Basilius in *Hexaëmeron* hebraicum verbum exponit: *fovebat*, *vivificabatque gallinae instar ovis incubantis*. Vnde non aliud videtur hic Moses innuisse, quam aquas, fotu Divini Spiritus foecundatas, atque abyssum universam ad erumpendum in opera provocatam (20). Porro ne quid prae-

(20) Facit huc illustris locus Deuteronom. *XXXII.* 11. *Sicut Aquila provocans pullos suos ad volandum, et super eos volitans expandit alas suas*, ubi illud advertendum, idem verbum רחף

teream, Chaldaeus vertit *insufflabat*; Tertullianus vero contra Hermogenem *cap.* XXIII. legebat, *supervectabatur aquis*, tamquam aurigante spiritu, nam aurigandi quoque notio Hebraicae voci subest.

---

jeracheph usurpari i. e. *extensas alas complodens.* Vnde Geneseos locum cum isto Deuteronomii conferens, metaphoram in eo ductam puto ab avibus, dum pendulae super pullos volitant, eosque alarum complosione ad volandum provocant, quasi eodem modo Divinus ille Spiritus Chaos ad erumpendum, atque ad promendas ex se se formas provocarit. Cui sane interpretationi non exiguum pondus ex eo accedit, quod in Evangelio Spiritus Sanctus volucris specie supra Christum e Iordane ascendentem stetit. De qua re vide dicta in *Tom. II. Lect. Theolog. p.* 40. *adnot.* 14.

CAPUT III.

De Opere primae diei.

In Mosis verba

(DIXITQUE DEUS FIAT LUX, ET FACTA EST LUX. ET VIDIT DEUS LUCEM, QUOD ESSET BONA, ET DIVISIT LUCEM A TENEBRIS; APPELLAVITQUE LUCEM DIEM, ET TENEBRAS NOCTEM; FACTUMQUE EST VESPERE ET MANE DIES UNUS).

SECTIO I.

(DIXITQUE DEUS)

Vox Dei, de qua Moses, non ore prolata, sed ipsa est Dei ratio, ac sapientia, et voluntas, atque ipsa demum operis molitio ex communi Patrum sensu. Longini iudicium de Mosis magniloquentia.

I. Non verbo oris, sed mentis dixit Deus, et ut Augustinus inquit, verbo sibi coaeterno, sive immutabilis sapientiae internis, aeternisque rationibus. Vnde Nyssenus in Hexaëme-

ron hunc Dei sermonem interpretatur sapientiam, ac rationem: *Nam omne quod fit, ratione fit, nihilque rationis expers, aut fortuitum, et casu eveniens subsistit in his, quae divinitus fiunt. Sed inesse rebus singulis sapientem quamdam, artificiosamque rationem oportet credere; tametsi praestantior sit, quam ut a nobis videri queat. Quidnam ergo dixit Deus: quandoquidem rationem exprimit vox eiusmodi.* Adducit autem hanc in rem Nyssenus Psalmi *CIV.* illud: OMNIA IN SAPIENTIA FECISTI, tum et *Ps.* XVIII. *Caeli enarrant gloriam Dei.*

II. Non minus egregie Basilius *Hom.* II. divinam vocem, qua omnia ex nihili sinu excitata sunt, divinae voluntatis momentum esse insinuat. *Sed et si quando vocem, sermonemque, vel praeceptionem Dei dicimus, advertas, non mentione, motuque corporis vocem reddentis sonum quempiam destinari, nec aërem lingua verberatum sermonem; sed voluntatis suae momentum: quoniam propter eos, qui docentur, utilius esse censemus, speciatim figurare praeceptum.* Eusebius etiam in hunc sensum scripsit *Hom. de Nativ. Dom.* cuius insignia sunt illa effata, *dicere Dei voluisse est*, et alio loco, *non loquendo*, sed *sciendo, et volendo cuncta Deus operatur.*

III. Quod ipsum disertissimis verbis Theodoretus docuit *Interrog. IX.* nec non Procopius in Genesim, qui rem ubi pluribus evicerit, concludit tandem: *Deus voce non indiget, cui voluntas ipsa sufficit.* Atque interpretationi huic Psalmista potissimum favet, qui postquam dixerit: IPSE DIXIT ET FACTA SUNT, subiicit per epexegesim: IPSE MANDAVIT, ET CREATA SUNT.

IV. Sed Ambrosium non hic praeteream, ex cuius schola me profecisse multum profiteor. Dicere Dei, inquit Sanctus Pater, idem est, ac reipsa facere. Audisis illum *Lib. I. Hexaëmer. cap. IX. Plena vox luminis, non dispositionis adparatum significat, sed operationis resplendet effectu. Naturae opifex lucem loquutus est, et creavit. Sermo Dei voluntas est, opus Dei natura est . . . non ideo dixit: ut sequeretur operatio, sed dicto absolvit negotium* (21). Quamobrem sic Mo-

(21) Praeclarus est, et adprime insignis alter Ambrosii locus de hac ipsa divina locutione *in Hexaëm. Lib. III. Prima illa vox Dei singulis creatoris impertita gignendis, lex naturae est, quae terris in omne aevum remansit, futurae successionis datura praescriptum, quemadmodum vel generandi, vel fructificandi in reliquum usus ado-*

sem intelligas, ut humano more, quem rudes facile adsequi possent, molitionem Dei ex omni aeternitate dictam, sed in tempore productam, et exertam, forma quadam temporarii sermonis expresserit.

V. Continere autem me nequeo, quominus Aristobuli, Judaei genere, disciplina Peripatetici, sententiam huc etiam adferam, vel ideo, quod Ambrosii dicto prorsus videas consentaneam. Is enim apud Eusebium *Lib.* XIII. *Praepar. Evangel.* in hunc disserit modum: *Divinam vocem accipere sic nos oportet, non ut sermonem conceptis verbis expressum, sed ut operum ipsorum molitionem, quo plane sensu Moses creationem mundi universam Dei vocem adpellavit, ita pronuntians, dixitque Deus, et factum est. Id quod ego Pythagoram, Socratem, et Platonem, quum nostra curiose rimarentur, sequutos puto, qui se Dei vocem exaudire* (22) *dice-*

---

lesceret. Papae! nihil sive θεολογικωτερον, sive φιλοσοφικωτερον dici poterat.

(22) Adposite concinunt Orphica carmina:

Illa mihi testis vox sit, quae prima parenti
Edita, quum totum fundavit iussibus orbem.

Videsis quae praenotavimus in *dissertat. parascevastica* ad hunc librum.

rent in illa universi molitionis contemplatione defixos.

VI. Jam vero his verbis Dei se maiestatem prodere, rerum omnium naturam dicto obsequentem habentis, probe Longinus, religione quamvis profanus vidit Libro *περι υψους de sublimi genere dicendi.* Eximium enim styli sublimioris specimen in Mose admiratus, legislatorem stupuit, magnifice ita incipientem: *Dixit Deus, quid tandem? fiat lux, et facta est: fiat terra, et facta est* (23). Sed

(23) Longini locus integer *περι υψους Sect. IX.* hic est: *Propterea Iudaeorum quoque legislator, haudquaquam spernendus homo, quandoquidem Divini Numinis virtutem pro dignitate concepit, ac divulgavit, utpote statim in ingressu atque initio legum scribens, dixit Deus, quid inquit? fiat lux, et facta est: fiat terra, et facta est.* Ex eo autem quod addit fiat terra, et facta est, satis adparet, Longinum, qui Mosaicam cosmogoniam multo ante legerat, postea fefellisse memoriam. Nam terram initio creationis factam, Moses aperte tradit. Ceterum in homine a nostris sacris longe alieno quis exactam ακριβειαν desideret? Curiosus autem aliquis quaerat, cur Deus in creatione caeli, et terrae ea voce usus non fuerit? Sed hic non vacat multorum multa referre placita. Quamquam Hebraei caelum quoque ac terram voce molitum Deum putant; quippe qui decem

porro mirandum non est, quod locus hic, cuius simplicitas tanta est, quam quae maxima, in exemplum magniloquentiae statuerit Longinus. Sublimitas enim heic non in verborum, non in schematum, sed in rerum ipsarum imperceptarum granditate inest. Id quod Paullus ante viderat *ad Rom.* IV. 17. ubi extra se raptus, ita de Deo Creatore ait: VOCAT, tamquam scilicet famulos ad imperium, EA QUAE NON SUNT, TAMQUAM EA QUAE SUNT. Ita nimirum creaturas, quasi clamans provocabat singulas, ut de nihili sinu erumperent!

---

verbis mundum conditum tradant; ita ut quum novies illud *dixit Deus* occurrat, decimum initio Geneseos subaudiendum restet.

SECTIO II.

(FIAT LUX ET FACTA EST LUX)

Lucis nomine, quid Moses designarit. An ipsa fuerit solis lux. Quomodo exstiterit non dum sole creato. Rabbinorum placita perpenduntur. Patres conciliantur.

I. Naturae Auctor, qui in lumine erat, et verum lumen erat, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, a lumine opificium suum auspicatur. Hinc Ambrosius in I. Hexaëmeron: *Vnde vox Dei in Scriptura divina debuit inchoari, nisi a lumine? Vnde mundi ornatus, nisi a luce exordium sumere? frustra enim esset si non videretur* (24).

II. Porro Augustinus in libro de Genesi ad litteram, Angelorum creationem minime prae-

(24) In hunc etiam locum impias manus iniecit Burnetus in sua *Archaeolog. Philosoph.* per indignum nefas effutiens: *ne Deus videretur in tenebris operari.* O pestem hominum miseram! vah!

termissam ratus, lucis nomine Angelicam naturam designasse Mosem putavit; atque divisionem lucis a tenebris, Sanctorum Spirituum a rebellibus discretionem interpretatus est. Verumtamen hac in re eo nos longius ab Augustino recedimus, quod a Mosaica simplicitate, cui unice insistimus, ipse abscedens, in allegoriarum ambages se se abdiderit. Id quod Hipponensi Pontifici non utique displicebit, qui eiusdem libri *cap.* VIII. uni cuicumque interpretationi praefracte adhaereri prohibeat; et mox idcirco se Genesim multifariam exponere profiteatur, ut *pro modulo suo eligat quisque quod capere potest.* Ergo lux proprie dicta heic, per me licet, intelligatur.

III. At quo potius modo lux existere poterat, nondum Sole creato? Sane Judaeorum plerique, quum hinc, atque illinc inextricabilibus tenerentur ambagibus, nonnisi ipsissimum solem, lucis nomine, intelligendum putant, quem quarto demum die non creatum, sed suo tantum loco contendunt adfixum (25). Id quod a Mosis simplicitate pror-

(25) Rabbi Moses Ben Maiemonides in *Lib.* II. *Morch Nevochim Cap.* XXX refert, Hebraeos magistros in libro *Bereschith rabbah* arbitratos esse, *lucem illam, cuius meminit lex, primo die*

sus arbitror alienum, quidquid Augustinus Eugubinus, Catharinus, et Perrerius ad textum potius sollicitandum adferant, quam interpretandum. Nec ullum enim praesidium quaeri posse arbitror ex verbis quartae diei: *Et fecit luminaria duo, et posuit ea in firmamento caeli*, perinde ac si Deus primo die solem fabricaverit, quarto postea caelo adfixerit; quum hic *ponere* tantumdem valeat ac ανχθειναι Graecis, latinis vero *dedicare*, sive mavis *enceniare*. Quam tergiversationem ipsa Scripturarum verba adprime excludunt, ubi quarta die dixisse Deus narratur, FIANT *luminaria* (26). Quid quod si luminaria primo die facta contendas, iam vero quartus dies omni opere carebit.

IV. At vero Basilius Hom. IV. in Hexaëmeron in ea versatur sententia, ut lux principio sine subiecto corpore creata fuerit, eaque in solem quarta posthac procreatum die,

---

creatam fuisse: nec tamen suspensam usque ad diem quartum. Consona habet Rabbi Selomoh in *Comment.*

(26) Offensionis lapidem viderant Judaei, sed non alia via ab eo se liberare putarunt, quam medicinam textui adferentes. Nam quod quarta die *dixit Deus fiant luminaria*, sic refingunt: *Dixerat Deus*.

transfusa. *Atque tum* inquit, *fiebat dies, cui cedenti nox vicissim succedebat: non quidem secundum motionem solis, sed primigenia illa luce suum splendorem diffundente, seque rursum contrahente, idque pro mensura a Deo definita.* Additque praeterea, *neque hoc incredibile videri oportere, quoniam aliud est lucis splendor aliud subiectum luci corpus.* Tametsi enim cogitando tantum nos ea separemus, possunt tamen Creatoris potentia reipsa seiungi, ut olim comburendi vis ab igne disiuncta in rubo ardente, et in fornace Babylonica, quando in eam pueri tres iniecti. Id quod praeter Basilium diserte nonnulli ex Patribus docent (27), et facillime vero

---

(27) Ita sane Nazianzenus (*Orat.* XLIII. *in Nov. Dominic.*) *Conveniebat*, inquit, *magno luminari opificium suum a lumine auspicari, quo tenebras, vastamque illam rerum congeriem, et confusionem omnia occupantem solvit, ac depulit. Neque vero id organicum a principio, nec mea quidem sententia solare protulit, verum sine subiecto corpore, et solis expers: sed postea ad orbem terrarum illustrandum soli traditum est. Nam in aliis rebus hanc rationem tenuit, ut materiam prius conderet, ac deinde eam forma convestiret, ordine videlicet, ac figura, magnitudineque unicuique rei impositis.* Quam sententiam et tenet Auctor

cum illo Hebraeorum placito conciliari potest. Nam vel ideo illi primigeniam lucem eamdem quam solis statuebant, quod lux eadem triduo ante condita, et metiendorum dierum officio functa, quarto die, quo luminaria prodierunt, in ea transfusa sit.

V. Fortasse ab his non aliena sensit Sanctus Thomas qui lucem prima die creatam, ipsam esse solis lucem arbitratur, sed adhuc informem. Praeiverat certe Angelico Doctori Dionysius Areopagita *Lib.* IV. *de Div. Nom.* cuius hic ponere verba non piget: *Haec ipsa namque*, inquit, *lux est, tametsi tunc informis erat, quam dixit divinus Moses, distinxisse illud primum dierum nostrorum triduum.* Quod proxime quantum Judaeorum menti, atque Basilii scopo accedat, non est cur moneam.

VI. Petavius vero quum vastissima nebula, et vapore totum universitatis spatium repleverit, in ea profecto lumen accensum credidit. At utcumque dabimus Clarissimo Viro, certe nebula lucem intercipere, reflectere, aut refringere potest, non vero ex se se

---

Expositionis fidei, quae inter Justini opera legitur; tum et Damascenus *Lib.* II. *de Fide Orthodox.*

emittere. Quid quod nemo facile tantam in nebula rapiditatem conceperit, ut viginti quatuor horarum spatio circumacta, dierum noctiumque vices orbi circumtulerit.

VII. Porro liberum quando mihi sit in quamlibet ire sententiam, eo animus inclinat, ut eorum sequar partes, qui statuunt, corpus quoddam lucidum triduo circumvectum, non secus ac columnam illam, quae Hebraeis in solitudine illuxit. Rem diserte Nyssenus in Hexaëmeron adstruit, qui primigeniam lucem non accidens sed ignem fuisse credidit (28), qui ex informi, et confusa materie, divina motione digeri coeptus, pro sua agilitate subito exsilierit, suoque splendore cuncta illustrarit. Digna profecto quae hic ipsa subiiciantur Gregorii verba: « Quemadmodum, inquit, silices in tenebris obscurae iacent, licet vim lucidam, atque il-

(28) Consentit Damascenus in *Lib. de Fide Orthodox.* qui omnino lucem hanc non aliud fuisse quam ignem contendit. Nec minimum pondus huic accedit divinationi ex Marci Evangelio *XIV*. 54. ubi *και σων συγκαθημενος μετα των υπηρετων, και θερμαινομενος προς το φως et sedebat cum ministris ad ignem* (Graec. lumen) et *calefaciebat se* Quid si אור *or* prima die factum, *ignem* reddas ?

lustrantem naturaliter in se contineant, quippe quae pariant ignem, si inter se collidantur. Sic obscura, caecaque erant omnia, priusquam perlucida atque illustrans natura in apertum proferretur. Nam quum uno divinae voluntatis motu nuper indistincta rerum universitas simul extitisset, ignis qui ubique disseminatus erat, obscurus iacebat, materiaeque impotentia supprimebatur. Verum quoniam vis eius velox atque agilis est, simul atque rerum naturae, ad mundi constitutionem, motus, principium, atque incitatio a Deo adhibita est, ante illa omnia, quae graviora sunt, exsiliens, lumine omnia repente illustravit. »

VIII. Eo autem maioris momenti Nysseni sententiam facimus, quod facile cum iis omnibus conciliatur, qui solem iam tum primo die prodiisse autumarunt, rudem tamen, et informem, nec dum adfabre elaboratum, neque torno plane rotundatum, quod quarto tandem die factum, quo eum Deus suo etiam loco adfixit; sic ut tum demum solem Deum *fecisse* dicatur, id est, *perfecisse*.

SECTIO III.

(ET VIDIT DEUS LUCEM , QUOD ESSET BONA , ET DIVISIT LUCEM A TENEBRIS.)

Deus eccur bonam vidisse lucem dicatur. An ea ceteris sensilibus praestantior. Quomodo a tenebris divisa. Lucis primigeniae vehiculum quoddam circumvectum, iterum statuitur.

I. Bona nimirum erat lux, quandoquidem ad aeternae Sapientiae rationes exacta. Sed numquid Opifex Deus ignorabat adhuc quod lux bona esset? Apage. Vidit antequam eam crearet, et ubi antea viderat, ibi et postea vidit. Non enim ex rebus intelligentiam accipit Deus, sed res ab eius iudicio voluntateque tum Esse suum habent, tum et perfectiones quascumque. Quod autem a beato Propheta dicitur: *et vidit Deus lucem quod esset bona*, nonnisi nostro dicitur more qui ex ipsis rebus solemus iudicium arcessere, et ubi quid elaboravimus, expendimus demum, an exemplari per omnia respondeat.

II. Nec porro heic tantum, sed singulis

diebus pronunciari advertas, Deum vidisse opera sua esse bona. Quod non eo dumtaxat factum existimo, ut intelligeremus, ex Deo profluxisse singula absoluta, et perfecta, et ita ut ornamento, et decori mundo essent, homini vero, et animantibus universis utilitati, sed ideo praeterea ut innotesceret, ea omnia quaecumque facta sunt, Dei Bonitatem adprime ostentare, quemadmodum et Plato in Timaeo adposite expressit.

III. Nihil tamen operae in luce commendanda hic insumam, quum ipsum Auctorem Deum encomiasten habeat, et adprobatorem, atque plenissima insuper de eius praestantia, pulchritudine, atque ut amplius dicam maiestate, sint veterum philosophorum scripta (29). Quamobrem haud immerito lucem Ambrosius in I. *Hexaëmeron* sensilibus ceteris praestare arbitratur, vel eo potissimum quod lucis natura huiusmodi est, ut non in numero sit, neque in mensura, nec in pondere. Vnde illud de Deo frequentissime videas adfirmari in Scripturis, quod ERAT LUX VERA *Ioan.*

(29) Conferas potissimum hanc in rem Plutarchum in libello de eo argumento: *sic vivas, ut nemo sentiat te vixisse*. Tullium IV. *Academ.* tum et antiquos philosophos quosvis, et poëtas.

I. quasi dictum : lux vera Deus est, cuius haec sensilis imago esse videtur; et *Joan. VIII.* EGO SUM LUX MUNDI.

IV. Lucis autem creationem sequuta statim est eius secretio a tenebris. Divisit enim eas Deus tum caussa, et natura (30), tum loco et tempore. Caussa nimirum, quod alia quidem lucis, alia tenebrarum est caussa; natura, quod lux quid positivum est, tenebrae vero mera privatio (31); loco item, quod uno

---

(30) Lucis naturam, ac proprietates investigare quam arduum sit, ex ipsis Cartesianorum, Neutonianorumque theoriis abunde intelliges, quae insuperabilibus difficultatibus laborant. Id Deus ipse significasse videtur *Job.* XXXVIII. 18. *Indica mihi, si nosti omnia, in qua via lux habitet, et tenebrarum quis locus sit.*

(31) Pessime Marius Victorinus sentit in libello *de principio diei*, inter *ανεκδοτα* a Cl. Sirmondo edita, qui tenebras substantivas posuit, siquidem a Deo factas. Quam rem non est cur confutemus, ipsa nimirum se falsam prodit. Manichaei vero nonnisi per indignum scelus, atque omnino execrandum, tenebras istas Deo coaeternas, et tamquam principium rerum alterum, proindeque Dei adversarias commenti sunt. Quos invictissime Basilius, Ambrosius, Augustinus exagitarunt, atque uno veluti praelio fuderunt.

collustrato hemisphaerio, tenebris obruitur alterum; tempore demum ob dierum noctiumque vicissitudines.

V. Nullam vero dierum ac noctium vicissitudinem principio existere potuisse, quisque sanus fatebitur, nisi lux primigenia in corpore lucido constitisset, ex cuius circumvectione illa derivaret. Posita enim terrae rotunditate, positisque qui adversa tenent nostris vestigia plantis, quomodo Basilio adsentieris statuenti, diffusione, et contractione lucis, dies noctesque principio processisse? Nam si ita se res habuisset, totum simul orbem ea luce collustrandum, totumque ea mox intermortua, obscurandum oportuisset. Vniverso autem orbe diffusione lucis illustrato, et universo item lucis contractione obscurato, quo potius modo dies noctesque simul circumlatas putabis (32)? At vero cor-

(32) Est sane cur excusemus antiquos Patres, qui quod humanae sapientiae inventa suspecta habuerint, terram fere planam, caelum vero fornicis in modum potius concameratum, quam sphaerae instar rotundum statuerunt. Hos inter Severianus Gabalorum Episcopus *Hom.* III *in Hexaëmer. fecit*, inquit, *caelum non sphaerae instar, ut inepti homines philosophantur*; *sed ut Propheta loquitur* (*Isaias* XL. 22. ex LXX. in-

poris ignei circumvectione adhibita, dierum

terpretum versione) *qui statuit caelum tamquam fornicem, et extendit ipsum velut tabernaculum.* Sed non praetereunda Hieronymi animadversio in hunc Isaiae locum: *Qui* ἡμικύκλος *semicirculare terris imminere caelum, et in similitudinem sphaerae Caelum esse contendunt, abutuntur nomine fornicis, quod scilicet media pars sphaerae terras operiat: quum in Hebraeo non fornicem sed* דק *tenuissimum pulverem legerimus.* Hebraice est Dok, qua voce aulaea, seu tenuissimum Carbasum indicatum habes, ut ex *Ps.* CIII. *extendens caelum, sicut pellem*, qua tentoria tegebantur. Porro autem praeter Severianum plerique antiquorum caelum fornicem, terram vero planam constituerunt, quo in censu adprime Lactantium habes *Lib.* III. *Instit.* XXIII. *quid illi*, ait, *qui esse contrarios vestigiis nostris antipodas putant, et rotundum esse mundum sicut pilam: quam caeli rotunditatem illud sequeretur, ut terra in medio sinu eius esset inclusa. An est quispiam tam ineptus, qui credat esse homines, quorum vestigia sint superiora, quam capita*: Hoc qui sentiunt, inquit, *constanter in stultitia perseverare, et vanis vana defendere.* Cui et addas praeclaros quosque Patres Chrysostomum, Pseudo-Athanasium in *Ps.* CIII. Pseudo-Justinum *Quaestion. ad Orthodox.* Caesarium, Diodorum Tarsensem, Mopsuestenum, Procopium. Atque id ad aevum usque Tostati obtinuisse videtur, qui pa-

noctiumque conversiones, vicesque recte constabunt.

---

ullo ante Americam detectam, telluris rotunditatem, veluti temerarium dogma reiiciebat. Augustinus vero quamvis *Lib.* XVI. *de Civ. Dei cap.* IX. Antipodas neget, aliunde tamen quam ex caeli, et terrae forma argumentum arcessit. Immo Psalmi CIII. verba *extendens caelum sicut pellem* nihil obesse ait iis qui rotundum esse volunt. Et quod ad camerae similitudinem spectat (de qua Isaias XL.) id intelligi posse adfirmat *secundum eam partem, ex qua parte caelum terram contegit. Si autem sphaera est, undique camera est.* Nec porro hic diutius in statuenda caeli, ac mundi totius rotunditate immorabor, de qua praeclaras habes philosophorum disputationes.

SECTIO IV.

(ADPELLAVITQUE LUCEM DIEM, ET TENEBRAS NOCTEM.)

A tenebris ne, an a luce primus dies incoeperit. Computandorum dierum mos apud Judaeos pluribus disquiritur.

I. Celebris hic, et apud Patres longe agitata quaestio se nobis sistit; a tenebrisne, seu nocte, an a luce primum noctiduum processerit (33)? Sane priscorum, recentio-

(33) Intervallum XXIV. horarum, quod *noctiduum*, sive solidum diem efficit, Graeci opportunissima voce νυχθήμερον, vel ἡμερονύκτιον adpellant; eumdemque quem astronomi et chronologi diem naturalem dicunt, quos tamen Alexius Mazochius, tamquam longe a praescripto naturae, longe ab institutione Divina, a Mose, et ab omni antiquitate aberrantes in iudicium reos accusat in *Spicileg. Biblic. ad Gen.* VIII. 4. contendens, *naturalem* diem eum esse dicendum, qui ab ortu solis incipiens, eiusdem occasu terminatur; *civilem* vero eum, qui integra sideris conversione perficitur. Quam sane in sententiam Cen-

rumque plerique primordiales tenebras primo diei imputari vetant, neque proinde noctem dici potuisse statuunt, siquidem luce nondum condita, utrumque simul obscurum erat hemisphaerium, quod certe in noctibus non usuvenit (34).

---

sorinus scripsit *lib. de die Natal. cap.* XXIII. *Naturalis dies est tempus ab oriente sole ad solis occasum, cujus contrarium tempus est nox, ab occasu solis usque ad exortum. Civilis autem dies vocatur tempus quod fit uno caeli circumactu, quo dies verus, et nox continetur.* Quod autem ad diem *artificialem* spectat, quo diurnum tempus vulgo notant chronologi, ab antiquis ignoratum prorsus id vocabulum, ipsa antiquitas testatur. Ceterum ante Mazochium viderat id Lilius Gregorius Gyraldus *Lib. de annis, et mensibus*, nec nunc vacat rem pluribus disquirere.

(34) Ita Chrysostomus *Hom.* V. *in Genes.* Basilius, et Ambrosius in *Hexaëmeron.* Augustinus in *Serm.* LXXIX. *de diversis.* Philoponus *Lib.* II. *cap.* XVIII. Victorinus Afer *Lib. de principio diei* inter Sirmondi ανεκδοτα; Procopius, Beda, Liranus, tum et Eugubinus, et Perrerius, aliique recentiores. Ergo ex horum sententia antelucana caligo fuit extra omne νυχθημερον *noctidium*: nec nisi a lucis (idest solis informis, qui dies noctesque circumferebat) conditu, prima

II. Profecto autem illud ego constantissime teneo, quod et eruditissimi quique strenuo propugnarunt, a tenebris nimirum, sive a nocte primum νυχθημερὸν *diem* incoepisse. Constat enim, idque apud omnes exploratum arbitror, Judaeos ex patrio instituto ab Adamo ad Abrahamum usque, ac Mosem traducto, a vespera seu a noctis initio constanter ἡμερονύκτια *noctidua* auspicatos esse.

---

nox, primumque noctiduum cepit exordium. Verum his adversatur Moses *Exod.* XX. et XXXI. inquiens, sex diebus Deum fecisse Caelum, et terram, et omnia quae in eis sunt: Quocirca si caelum, et terra, sive materiae universitas ante omnem diem, facta fuerunt, ut his placet, iam non sex diebus, sed longiore intervallo mundum perfectum oportuit, potissimum autumante Petavio, *aliquanto intervallo durasse primas istas tenebras, et fortasse plus uno alterove die, aut etiam longius.* Itaque illud potius statuam ego I. Corpus illud lucidum solis vicarium ab aliquo puncto orientis exortum, ad meridiem inflexisse cursum, et itinere versus aquilonem reflexo in occasu occidisse, ut mox ad ortum reverteretur, quemadmodum de sole scripsit Salomon. II. In positionibus istis designandis rationem habitam fuisse Chanaanitidis, in qua Dei populus, cui haec a Mose scribebantur, habitaturus erat; proindeque ab orientali Palestinae cardine lucem dif-

III. Porro non alium Mosis interpretem audias, quam Mosem ipsum *Exod.* XX. *Sex diebus*, inquit, *operaberis*; *septimo autem die Sabbatum Domini Dei tui est*: *non facies omne opus in eo. Sex enim diebus fecit Dominus caelum*, *et terram*; *et requievit in die septimo.* Quo loco manifestissime vides, non aliam esse rationem, cur Sabbati ἀπαξία *otium* a vespera ad vesperam procederet, quam quod Dominus die septimo ab opere cessavit. Nam Deus ubi hominem sexta luce creasset, nocte superveniente operari destitit, quievitque, quae nox septimo, non sexto diei imputanda est. Quare et eodem ordine praecedentes dies processisse oportet. Vnde fit perspicuum, sex dies Divini opificii eo excurrisse ordine, ut a vespera initium sumentes, ad insequentis diei vesperam desiverint, sic ut in primo νυχθημέρῳ nox diem anteverterit.

IV. Controversiam autem omnem invicte solvit insignis Exodi locus *XII.* quo solemnitas

---

fundi coeptam. III· Horarum XII. intervallo primordiales tenebras perseverasse, et mox totidem horis lucem hoc nostrum hemisphaerium emensam esse, sic ut ex XII. horis tenebrarum, et ex XII. diffusae lucis primum mundi νυχθήμερον noctiduum coaluerit.

azymorum indicitur: *Mensis iste vobis principium mensium, et primus erit in mensibus anni. Ad quartamdecimam diem mensis huius immolabit Agnum multitudo filiorum Israel ad vesperam. Et edent carnes nocte illa assas igni, et azymos panes; septem diebus azyma comedetis: In die primo non erit fermentum in domibus vestris.* Quo loco vides, quartidecimi diei vesperam quintaedecimae lunae adcenseri, qui primus erat Paschalis dies, quo agnus immaculatus anniculus victima caederetur. Quum autem septem solidis diebus, id est νυχθημεροις, lex iuberet azyma comedenda, adposite eorumdem initium a vespera post Parasceven, sive diei decimae quartae designatur, tum et terminus usque ad vesperam diei vicesimae primae. Vnde patet festorum dierum observationem a solis occasu apud Hebraeos, usque ad alteram vesperam processisse. Idque propterea, quod certo tenerent, diem, quae primum illuxit, fuisse a tenebris inchoatam.

V. Accedit quod in Evangelio Marci, et Joannis, qui Christum inhumare volebant, opus maturabant, adventante vespera, a qua Sabbatum incipiebat. Porro innumera huiusmodi exempla ex historia Dominicae resurrectionis patent. Vt autem cetera praeteream,

quum nocte Christus resurrexerit, dici omnino non potest, quod tribus diebus in corde terrae fuerit, nisi nox pars sequentis diei fuisset.

VI. Profecto autem nihil illud facessit negotii, quod Moses heic diem nocti praeposuerit: *Appellavitque lucem diem, et tenebras noctem*; quod vel ideo factum quisque intelliget, quod de luce proxime loquutus erat. Re enim vera longe multa huiusmodi habes in Scripturis exempla, in quibus nox diei praeponitur, veluti *Genes.* VIII. *Nox et dies non deficient*; et in Cantico: *Benedicite noctes et dies Domino.*

VII. Id quod ipse Moses adprime innuere videtur verbis illis: *factumque est vespere, et mane dies unus.* Solent namque Scripturae vesperam pro nocte, non pro die ponere, ut Marci I. *Vespere autem facto, quum occidisset sol*; quemadmodum mane pro die, ut Marci Capite postremo: *Valde mane, orto iam sole.* Ex quibus patet *vespere et mane* in Mosaico textu noctem diemque significare.

VIII. Antequam autem manum de tabula, ut paucis omnia complectar, duas primi νυχθημερου noctidiei partes ita peractas statuo, ut ubi creata materia fuerit, statim primi νυχ-

θημερου nox inchoata sit, eademque lumine exoriente desierit, sive quod tantumdem valet, dicas a creatione materiae, usque ad lucis productionem duodecim horas effluxisse. His exactis ubi lux emicuit, nocti dies successit, eoque temporis intervallo hemisphaerium collustravit, quo praeterita nox occupavit orbem, nimirum horis itidem duodecim. Porro primum νυχθημερον, ut vides, aequinoctiale fuit, quemadmodum et tria, quae consequuta sunt. Tellus enim triduo in eodem loco posita convertebatur, nec nisi quarta die proiecta est, ut circa solem revolveretur. Quum autem ab eo proiecta loco sit, in quo triduum aequinoctiale peregit, quartum etiam νυχθημερον aequinoctiale fuerit oportet.

SECTIO V.

(FACTUMQUE EST VESPERE ET MANE DIES UNUS).

Non uno temporis puncto, sed sex veris diebus mundum Deus fabricavit, venustavitque. Philo, et Origenes castigantur. Pluribus res suadetur.

I. Divinum mundi opificium quisquis eo attendat ingenio, quo traditum est a Mose, haud quaquam inficiatum ibit, quin id omne, quantum quantum est, sex dierum intervallo perfecerit Deus. Quid enim quoque die effectum sit, adcuratissime, et per partes narrat, et ubi unumquodque expresserit opus, diem signat. Vnde hic quum de primo opere, sive de lucis exortu sermonem fecisset, adposite subdit: *factumque est vespere, et mane dies unus*, idest primus; quemadmodum mox firmamento creato, *factumque* inquit, *vespere et mane dies secundus*, et ita passim ad septimum usque diem, qua Deus ab opere cessavit.

II. Hanc Scripturarum simplicitatem. quum antiquorum nonnulli minus spectassent, in

eam venerunt opinionem, ut subito ac momento temporis, non per dierum intervalla totum id opificium constitisse statuerint. Primus omnium Philo Judaeus in *Libro de Mundi opificio* sex illos dies magis ad rerum ordinem distinguendum, quam ad vera intervalla pertinere docuit: *Tunc*, inquit, *omnia simul sunt condita; necessaria tamen fuit ratio servandi ordinis propter eam, quae deinceps futura erat alterius ex altero propagationem.* Quin et initio Libri primi allegoriarum, rusticanae simplicitatis esse dixit putare sex diebus mundum esse factum, sed hac usum esse periphrasi Prophetam, ut indicaret cum mortalia, tum vero incorruptibilia genera ex propriis constitisse numeris, ac senario quidem mensum esse mortalia, et septenario immortalia; Sed quis aequo animo Philonem hic allegoriis ludentem, et ut verius dicam Platonizantem feret?

III. Philoni alter ille allegoriarum auceps subscripsit Origenes qui in VI. *contra Celsum* eos reprehendit, qui vera dierum intervalla a Mose censent descripta (35). Neque

(35) Nihil profecto extimescendum ab eo, quod Origenes usurpat argumento ex *Genes.* II. 4. *Istae sunt generationes caeli, et terrae: quando creata sunt: in die, quo fecit Dominus caelum, et terram.* Quo et testimonio maxime innititur

aliena fortasse sensit Athanasius, cuius haec sunt expressissima verba *Lib.* III. *contr. Arianos* : *nulla ex creatis rebus ante alteram extitit*; *sed confertim simul omnia genera uno eodemque creatoris imperio substiterunt.* Quod ipsum Procopius *in Genesim* insinuare videtur.

IV. In eadem navi versatur Augustinus, quippe *Lib.* XI. *de Civ. Dei*, tum alibi, sex illos operosos dies, non pro sex veris, distinctisque dierum intervallis accipiendos duxit, sed pro sex rerum generibus, quae facta commemorantur, ut nihilominus praesentata Angelorum cognitioni, ac ut fuerunt ab iis et probe perspecta, et abunde intellecta. Quum autem Angeli rerum cognitionem hanc gemino consequuti sint modo; et in proprio genere, atque hoc quidem, vel per species rerum inditas, vel etiam adquisitas, vel denique per earum essentiam (de qua re in praesenti non disputo) atque demum in Ver-

---

Caietanus. Sed omnino inefficax est id argumentum, ac nullius certe ponderis. Nam Hebraica proprietate singularis pro plurali crebro in Scripturis usurpatur; et dies pro tempore frequentissime audit, ut Isaiae IX. *Sicut in die Madian*; Et XIV. *Et erit in die illa dicit Dominus*, hoc est in *tempore illo*.

bo, seu in Deo ipso; priorem illam cognitionem vespertinam dixit, hanc vero matutinam (36).

V. Quominus autem Augustino hac in re adsentiamur, ceterorum omnium Patrum auctoritas facit, Basilii potissimum, Gregorii Nazianzeni, Epiphanii, Chrysostomi, Damasceni, Rabani, eorumque qui in Augustini verba iurare consueverunt, Gregorii Magni, Bedae, ac Ruperti. Nec porro quidquam adversus nos efficit Ecclesiastici locus VIII. quem Augustinus producit: *Qui vivit in aeternum creavit omnia simul*; ut enim omittam, quod *simul* creata omnia dicuntur, quia tota simul universi materia initio creata fuit; profecto *το simul* in latina versione, Graece est κοινη idest *pariter* et *ex aequo*, unde locum vertes *creavit omnia pariter*, sic ut ni-

(36) Dicere hic satis nequeo, quantae ex eo subortae inter theologos disputationes subtilissimae. Ipsi sibi rem videant. Ego enim id prope cum viris clarissimis incredibile ducam, quod Moses vulgi auribus se dimittens, per spirituum cognitiones matutinas vespertinasque, mundi opificium descripserit. Utique non recusabo in hanc discedere sententiam; sed proferant qui ita sentiunt, idoneas rationes; proferant aperta Scripturarum testimonia; proferant theologorum auctoritates.

hil aliunde ortum possit adferri; tantumdemque valet ac Joannis illud: *omnia per ipsum facta sunt* (37).

VI. At vero innumera ab ipsis Scripturis adversus simultaneam rerum omnium creationem peti possent argumenta, nisi in re clarissima operam consumere pigeret. Enimvero ecquid tam frequens in Scripturis Sabbaticae observationis inculcatio? Nonne huius eam habes rationem *Exod.* XX. *Sex enim diebus fecit Dominus caelum et terram, et mare, et omnia, quae in eis sunt, et requievit die septimo: idcirco benedixit Dominus diei Sabbati.* Equidem minus sincera, minusque ido-

(37) Sanctus Thomas ea quoque dici posse fieri STATIM adnotavit, quae brevi, aut certe nullo interposito longiore temporis intervallo conficiuntur. Enimvero domus simul extrui dicitur, ac statim, quae successive sine temporis interpolatione aedificatur, quamquam iaciatur ante fundamentum, moxque erigantur parietes, aut etiam muri, et postea tectum superponatur, atque adeo in tempore consummetur. Quum igitur Deus iugi quadam et continuata dierum serie, in quibus feriatus non est, nec suum reliquit opificium, illa omnia quae mundum venustant, absolvisset, recte profecto, et adposite Sapiens scribere potuit illum omnia simul creasse.

nea ea esse videretur ratio, nisi sex dierum vero intervallo opifex haec effecisset.

VII. Porro si Scripturas ipsas attendamus, constabit sane, septenario numero tempus ferme omne circumvolvi. Vnde Gregorius Nazianzenus *Hom. de Magd.* opportune animadvertit, septem dies, et septem annos, et denique septem annorum septimanas, quas e vestigio Jubilaei annus subsequitur, tamquam videlicet septem primorum dierum illustres imagines fuisse. Quid quod huic sententiae cunctarum gentium usus, saeculorumque omnium consensus agminatim (ni me iudicium magnopere fallit) ultro adhaeret. Barbari enim, Graeci, atque Latini omnes hebdomadibus perpetuo usi sunt, utunturque adhuc, quibus cum operas et labores, tum feriationem, ac quietem metiuntur, etenim sex diebus operantur, et septimo quiescunt (38). Quorsum autem communis instituti ratio?

(38) Scio multos rem hanc cum Divina Omnipotentia transigere solitos. Sed satis superque Deus omnipotentiam suam declaravit, quum ex nihilo totam hanc corporum congeriem, et universitatem effecit; quam vel ideo sensim venustavit, ut manifestaret, se non naturae impetu, et necessitate haec omnia agere, sed electione, ac sponte, et insigni quadam sua libertate, ac sapientia.

Quorsum quum numerus in denario quiescat, non decimanas illi homines statuerunt, sed septimanas? Quorsum tantus septenarii numeri honos? Equidem non alteram invenio caussam, quam quod vetustissima Maiorum traditione edocti intellexerint, sex diebus Deum effecisse mundum, et septimo quievisse. Nimirum igitur pro explorato habuerunt, hebdomadam Dei hanc, quam nobis Moses conscribit, constitisse septem integris primi caeli conversionibus.

VIII. Parumper autem si tollas dierum intervalla: si suis quaeque locis probe formata, ac locata dices, ecquo in laberintho verseris? quo potius pacto tot inextricabiles nodos solves, vel ut id quoque concedam, secabis? Age videamus, quomodo uno eodemque momento terra inanis et vacua fuerit, fuerit et aquis undique operta, mox et discooperta. Quomodo tenebrae, et lux simul esse potuerunt? quomodo aquae confusae, et firmamenti obiectu discretae? Vesperam, et mane quî simul concipies? Adhaec quomodo puncto temporis, quo lux creata, idest ex Augustino Angeli conditi, simul boni a malis discreti, et gloria donati? Quomodo simul homo extra paradisum formatus, simul in paradisum inductus, simul etiam sopore

correptus effingendae compari praebuerit ex latere materiam? Praeterea mari caelum commisceas necesse est; et multa sibi omnino non constantia nectas oportet, modo dierum substuleris intervalla.

IX. Demum quum Moses alia ex aliis prodiisse narret, ut ex aquis pisces, avesque, ex terra stirpes, et animantes, nemo profecto non intelliget, alia prius, alia posterius fuisse producta: quae si temporis momento simul omnia extitissent, ex nihilo creata universa oporteret. Sane Augustinus ista praevidens, ea se responsione liberavit, pisces, aves, plantas, et animantia omnia *in potentia* sive *in caussa* primo momento producta narrari, quia tellus et aquae vim accepissent eam gignendi. Verum ecquis sibi animo suadebit, gignendorum animalium facultatem brutae materiae concessam, ac non potius Deum ipsum illa diebus suis ex aquis terrave actu produxisse? Sed de hoc redibit infra sermo.

CAPUT III.

De Opere Secundae Diei.

In Mosis verba

(DIXIT QUOQUE DEUS FIAT FIRMAMENTUM IN MEDIO AQUARUM, ET DIVIDAT AQUAS AB AQUIS. ET FECIT DEUS FIRMAMENTUM, DIVISITQUE AQUAS, QUAE ERANT SUB FIRMAMENTO AB HIS QUAE ERANT SUPER FIRMAMENTUM. ET FACTUM EST ITA. VOCAVITQUE DEUS FIRMAMENTUM CAELUM: ET FACTUM EST VESPERE, ET MANE DIES SECUNDUS).

Firmamentum idem ac expansum. Quid proprie sit Hebraicum Rakiah. Cur a LXX. Senibus redditum στερεωμα. Quomodo Graeca versio Hebraicae voci conveniat. Ea expansione nonnisi aërem notari evincitur.

I. Aër lubricae spirabilisque substantiae vastissima moles, qua tellus undique circum-

funditur, sola cum universis in ea natantibus fluidorum, solidorumque corporum particulis, telluris dicitur *Atmosphaera*. Atque haec esse videtur, quam firmamenti nomine Deus secunda die condidit, quidquid aliis visum (39). Nam quod Moses inquit: *Fiat firmamentum in medio aquarum, et dividat aquas ab aquis*, nonnisi de citimo terris aëre intelligendum puto, qui aquas subtilissimos in vapores attenuatas sustinet pendulas, easque ab aquis disterminat concretioribus, quae supra telluris globum in mare coëunt, et lacus, et flumina. Id quod haud multis suadere in praesenti conabor.

---

(39) Putarunt nonnulli, teste Basilio *Hom.* III. in *Hexaëmer.* firmamentum secundo die productum idem esse ac caelum, de quo in primis Geneseos verbis. Quod tamen ne bis factum videatur, primo die creatum dicunt, postridie vero nonnisi solum dirimendarum aquarum ministerium eidem traditum. Alii porro primo die una cum terra supremum caelum (vulgo empyreum) procreatum putant, in quo domicilium sibi, et eiusdem secum felicitatis consortibus posuit; postero at die nonnisi caelum inferius conditum fuisse, sive caelestes orbes reliquos. Alii . . . . sed quid in commemorandis veterum, aut etiam recentiorum sententiis frustra tricor?

II. Primum autem, ut suus rei stet ordo, in vim nominis inquiramus. Quod in Latinis Bibliis *firmamentum* id in Hebraico fonte רקיע *rakiah* dicitur. *Rakah* porro, unde *Rakiah* deducitur, non aliam apud doctissimos quosque Hebraeos habet notionem, quam *extendere*, atque *expandere*. Videntur in id et ipsi Septuaginta Senes convenire qui *Numer.* XVI. 39. *Jerakkebu* (Eleazar) *ea in laminas affigens altari*, το Jerakkehu exponunt προσεθηκαν, quod extensionis vim continet, unde a latino interprete positum *produxit*, idest *extendit*. Hinc ibidem *rikkuhe pachim* sunt laminae ductiles, quae tundendo dilatantur. Idemque verbum *Exod.*XXXIX. 3. et *Jeremiae* X. 9. cum ad aurum, tum ad argentum ductile significandum usurpatur. Quamobrem Mosaicum *Rakiah*, in loco quem versamus, si ad verbum interpretari velis, non aliud est quam *Expansum* (40).

(40) Atque hoc sensu fortasse Septuaginta Senes *Rakiah* interpretati sunt στερεωμα *firmamentum*. Nam στερεωσαι *firmare* apud Hellenistas idem valet ac tundendo dilatare, et expandere. Quo sensu Silius Italicus:

In medio vastum late se tendit inane.

Accedit quod hac ipsa notione στηριζω usurpatur ab Homero *Iliad.* Α

III. Nimirum igitur, ex Hebraicae vocis vi, Mosaicum *Rakiah expansum*, nonnisi ea regio est, quae a telluris superficie ad extremam usque mundi oram, ac determinationem porrigitur. Id quod disertissime Plato τασιν *extensionem* adpellavit. Quum autem aëris lubrica sit natura, ac diffluens, illud profecto nostrae interpretationi obstare videtur, quod *expansioni* minus conveniat vox ςτερεωμα, quam Septuaginta Senes posuerunt, unde et *firmamenti* vox in latinis Bibliis derivavit; quibus solidum aliquid firmumque indicari videtur. Nihil at in eo momenti est. Vt enim praeteream quod neque ex Mosis narratione,

. . . *Iridibus similes, quas Jupiter udis*
Nubibus extendit; signum mortalibus aegris.

ubi το extendit Graece est εστηριξε.

Quid quod εκτειγειν *extendere*, et στερεουν *firmare* synonima sunt in Isaia XLIV. 24. *Extendens caelos solus, stabiliens terram* (idest *expandens* terram super aquas). Sed controversiam omnem dirimit Isaiae locus alter LI. 6. *Caeli sicut fumus liquescent*, ubi Graece est εστερεωθη *firmati sunt.* Certe enim fumo expansio convenit, non item durities.

neque aliunde ista firmamenti adstrui possit soliditas, illud prope in confesso est, το στερεωμα, sive *firmamentum*, non sic ab naturae propria conditione, sed ab effectu vocatum esse, quod perinde aquas ab aquis separet, ac si murus esset solidissimus, ac firmissimus. Ex quo patet, firmitatem illam, quae hisce subest vocibus, non ad Caeli expansionem, sed ad Divinae operationis stabilitatem referendam esse, et ut opportunissime inquit Augustinus *Lib.* II. *de Gen. ad litt. cap.* X. *ob intransgressibilem terminum superiorum, et inferiorum aquarum* (41). Quo facit Lucae illud XVI. 26. ubi Lazarus ad Epulonem: *Inter nos et vos chaos magnum firmatum est*, neque enim durities ad chaos pertinere potest, sed itidem intransgressibilis terminus notatur inter infernum, et Abrahami sinum, quemadmodum ex his quae apud Lucam sequuntur, datur intelligere.

IV. Quum vero firmamenti vox non tan-

(41) Origenes *Comment. in Joann.* στερεωμα *firmamentum* sic dictum putat, quod a Deo firmatum, stabilitumque sit, ne sicut inferiora corpora, dissolvatur, ac diffluat. Quo sensu στερεωμαι tantumdem valet, ac *confirmare*, *corroborare*; aptissima sane notio ad Mosaicum *Rakiah* explicandum.

tum caelo sidereo conveniat, ut quum *Gen.*I. 16. Deus duo luminaria magna in firmamento caeli posuisse dicitur; sed etiam aëreo, sive sublunari caelo, ut quum ibidem 20. *volatile volare* dicatur *super terram sub facie firmamenti caeli*, ut Hebraicus textus habet, idest in aëre, merito illud nunc quaerendum venit, ecquod firmamentum, aëreum ne, an astriferum Moses hoc secundo die factum tradat?

V. Id quod nonnisi ex ipsis Mosaicis verbis luculentissime patet. Non enim Moses absolute dixit: *Fiat expansum*, sed cum additamento *in medio aquarum*. Vnde de caelo aëreo omnino loquutus videtur, sive de ea expansi parte, quae superiores aquas, nimirum nubes, ab inferioribus dispescit (42). Id

(42) Non parvi momenti ducendum *Caeli* etymon, quod Cl. Mazochius noster tum in Vossianis additionibus, tum in Spicilegio Biblico ad hunc locum tradit. Contendit enim, Caelum ab Hebraico כלא *cala* esse, quod est *prohibere*, *arcere*, unde fit כלא *cele*, quod significat *carcerem*, *claustrum*, et quidquid coërcet, ac prohibet. Ab *cele* hoc profecto latini, in primis Etrusci, Caelum vocarunt, et ut adposite Mazochius inquit, *propter Hebraicam παράδοσιν de firmamenti officio arcendi aquas ab aquis.*

quod eo magis tenendum, quod aër numquam alias productus dicatur, quum tamen altera expansi pars, caelum sidereum, pridie prodierit. Re quidem vera is primo die rerum erat status, ut nebulosum corpus, sive aquarum congeries quaquaversum tellurem obnuberet, supremaque caeli spatia, aetheri proxima, pertingeret usque. Postero at die, abysssi parte citima terris densata, quidquid crassius, concretiusque erat, in imas terras depressum subsedit, quidquid vero tenuius subtiliusque media sedit regione. Pars at altera abyssi superior pristinam nebulae vaporisque retinuit naturam, et nubis instar pendula manens, firmamento, sive transfuso aëre, veluti muro quodam interiecto, ab aquis inferioribus dirempta est.

VI. Cuiusmodi autem superiorum aquarum sit natura, licet eas glaciei in modum concretas (43) putarint veteres, nebulae tamen

---

(43) Ita Josephus initio *Lib.* I. *Originum*; Severianus Gabalitanus *Hom.* II. *Hexaëm.* firmamentum πεγμα κρυσταλλοειδες, idest massam glaciei, et crystalli more duratam vocat; Cesarius *Dial.* I. *Interrog.* LXIX. nec non Auctor *Recognitionum*, quae Clementis nomine vulgatae sunt, Chrysostomus *Hom.* II. *de Incomprehensib.* negat explora-

vaporique similiores nos eas statuimus, vel ideo potissimum, quod ipsa est superior primigenii nebulosi corporis pars superstes, cuius ab imbribus, nivibusque dispendia per indesinentem vaporum sursum elationem resarciuntur. Vnde *Genes.* II. 6. *Non enim pluerat. Dominus Deus super terram sed* אֵד *Ed nubes ascendebat e terra, irrigans universam superficiem terrae.* Apposite vero Jeremias X. 13. *Ad vocem suam dat multitudinem aquarum in caelo, et elevat nebulas ab extremitatibus terrae.* Et ibidem LI. 16. *Dante eo vocem multiplicantur aquae in caelo, qui levat nubes ab extremo terrae* (44). Atque hinc

---

tum esse, an caelum, sit *crystallus durata, an densa nubes: an aër corpulentior.* Quibus similia inquit Theodoretus *Hom.* I. *in Genes.* Contra vero Basilius falli eos existimat, qui caelum ex aquis ut glaciem esse concretum putant; proinde non aliam quam tenuem caeli naturam esse pluribus adstruit, in primis ex Isaiae loco LI. 6. *nisi quod Esaias naturae illius notionem expressit; quum ita loquutus est: Qui firmavit caelum, sicut fumum, idest, qui naturam tenuem, neque solidam, vel crassam ad caeli constituendam substantiam condidit.* Sed de Isaiae loco iam egimus.

(44) Ethnicis non alia stetit sententia; veteres enim Latini aquas caelestes eas dicebant, quae ex

in *Psal.* CXLVIII. *aquae omnes quae super caelos sunt*, nonnisi post solem, lunam, et stellas ad Domini laudes invitantur, quia sole, luna, et stellis inferiores sunt, terris autem citimae.

VII. Atque vero in haec, quae usque dum disputavimus, convenientes habemus non tantum Judaeorum magistros plerosque, potissimum Rabbi Abrahamum, Aben Ezram, Maiemonidem, et Kimchium, sed clarissimos quoque Patres. Libet omnium instar unum et alterum audire, in primis Chrysostomum *Hom.* XXXI. *de Nat. Ch. Sicut enim*, inquit, *terra est, et caelum, et medium sepimenti instar hoc firmamentum, sic et illud quoque templum fieri iussit.* cet. Hieronymus vero *Epist.* LXXXIII. *ad Oceanum* scribit: *Inter caelum, et terram medium extruitur firmamentum.* Augustinus praeterea in XIII. *Confes.* 32. duplicem posuit sententiam, sive ut firmamentum sit caelum inter spirituales aquas superiores, et corporales inferiores, *sive hoc*

---

nubium coactione stillantur, unde Plinius *Lib.* XXXI. *Quid mirabilius* ait, *aquis in caelo stantibus.* Memini quid simile apud Varronem legisse, sed nunc locus memoria excidit, nec excutere vacat.

spatium aëris (45) *inter aquas*, *quae vaporaliter ei superferuntur*, *et has*, *quae in terris graves fluitant*. Sed nemo disertius hanc firmavit sententiam, quam Beda, sive quisquis auctor est *Lib.* II. *de element. Philosoph.* tum et Augustinus Steuchus, Rupertus Abbas, quibus addas Sanctum Thomam(46), Auctorem altercationis Ecclesiae et Synago-

---

(45) Neque id praetereundum, quod Augustinus *Lib.* II. *de Gen. ad Litter.* auctorem nescio quem huius sententiae commendat, qui demonstrabat, aquas, quae sunt supra firmamentum, non esse, nisi vapores aqueos, qui in nostra atmosphaera attolluntur, et ita ab aquis, quae super terram sunt dividuntur. *Ergo*, subdit Augustinus, *ex aëre qui est inter vapores humidos*, *unde superius nubila conglobantur*, *et maria subterfusa ostendere ille voluit esse caelum inter aquam*, *et aquam. Hanc ergo diligentiam considerationemque laude dignissimam iudico.*

(46) S. Thomas 1. P. Quaest. LXVIII. art. 1. varias ubi de firmamento sidereo adtulit opiniones, in eam demum inclinare videtur, *ut per firmamentum*, *quod legitur secunda die factum*, *intelligatur illa pars aëris*, *in qua condensantur nubes*. Rem iterum *art.* 2. adfirmat, eaque facile occurri difficultatibus fatetur, quibus aquae ὑπερουράνιοι scatent.

gae ; Durandum , et ex recentioribus eruditissimos quosque (47).

---

(37) Conferis Cl. Petavium *de Opific. sex dier. Lib*. I. *cap*. X. nec non Doctissimum Josephum Rossi Nicosiensium Archiepiscopum, FERDINANDI IV. Borbonii Regis a Confessionibus in *Hexaëmer.*

CAPUT IV.

De Opere tertii diei.

In Mosis verba.

(DIXIT VERO DEUS: CONGREGENTUR AQUAE QUAE SUB CAELO SUNT IN LOCUM UNUM, ET APPAREAT ARIDA, ET FACTUM EST ITA: ET VOCAVIT DEUS ARIDAM TERRAM, CONGREGATIONESQUE AQUARUM APPELLAVIT MARIA. ET VIDIT DEUS QUOD ESSET BONUM. ET AIT: GERMINET TERRA HERBAM VIRENTEM, ET FACIENTEM SEMEN ET LIGNUM POMIFERUM FACIENS FRUCTUM IUXTA GENUS SUUM, CUIUS SEMEN IN SEMETIPSO SIT SUPER TERRAM. ET FACTUM EST ITA. *Cet.* ET VIDIT DEUS QUOD ESSET BONUM. ET FACTUM EST VESPERE, ET MANE DIES TERTIUS.)

SECTIO I.

Terra aquis emergit; aquae in sua compelluntur receptacula. Lux Scripturis superfunditur. Quid sit, quod in locum unum aquae congregatae dicuntur. An maria omnia inter se communicent. Terra cur arida nuncupetur.

I. Quum abyssi citima terris pars in crassiores aquas coacta subsedisset, atque interiecto aëre, ab superstite nebula, quae sursum erat, dirempta esset, tellus adhuc superfusis aquis, tamquam infantiae pannis obvoluta delitescebat. Hinc Deus imperio suo terrae superficiem, aequabili rotunditate turgentem, ubique iussit praerumpi, ut hinc antris, scrobibusque excavatis, perpetuis alibi, immanibusque montibus, veluti aggeribus elatis, extumesceret alibi, alibique deprimeretur. Quamobrem aquae, quibus circa gravium commune centrum libratis, tellus necessario consepeliebatur, Aeterni Conditoris voce in decliviora confluentes, corruentesque tellurem nudarunt. Habes igitur hoc die terram aquis emersam, aquas in exteriora, interioraque conceptacula compulsas.

II. Grande quidem opus? in quo ipse Deus infinitam suam ostendit potentiam *Jerem.* V. 22. *Me ergo*, inquit, *non timebitis*, *qui posui arenam terminum mari*, *praeceptum sempiternum*, *quod non praeteribit*, *et intumescent fluctus eius*, *et non transibunt illud*? Sed quibus verbis id opus efferant Scripturae, quaque vi ferocissimum aquae elemen-

tum Divina potentia domitum fuerit, vel ex uno *Ps.* CIII. datur intelligere. *Ab increpatione tua fugient* (viden an non interesse pene huic spectaculo videaris?) *Ascendunt montes, et descendunt campi in locum quem fundasti eis. Terminum posuisti, quem non transgredientur, neque convertentur operire terram,* Sed audias et Jobum XXXVIII. 10. ut demum vere audire Deum videaris aquas increpantem: *Posui vectem, et ostium, et dixi: usque huc venies, et non procedes amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos* (48). Sed quae sunt istae vectes et ostia,

(48) Ex eo Basilius, et Nazianzenus, nec non et Ambrosius putarunt, mare multo altius tumere, quam terras, ac nonnisi hoc divino praecepto, quasi fraeno quodam coërcitum, quominus tellurem alluvione obrueret. Sane antehac in hanc sententiam scripsit Tullius *Lib.* II. *de Natura Deor.* cui et philosophorum plerique antiquorum suffragantur. Alia tamen alii contendunt, et omnine super aquas eminere censent terram. Quidquid sit, de quo acriter disputantes conferas philosophos, mihi profecto videtur, rem conciliatione indigere; nam alicubi mare supra terram adsurgere, alicubi vero terra depressius esse, adprime ratum habeo. Plura abstineo ponere, quae apud Philosophos videas.

quae aquis posuit Deus, nisi naturae leges a Creatore inditae, ut ab imminente aëre aequabiliter aquae compressae, *aequaliter* etiam (unde aequoris nomen factum) circa commune centrum se sistant, sic ut nec adsurgere altius possint, ne a centro recedant, nec fines praetergredi ad obruendam tellurem?

III. Quum autem Moses aquas istas in locum unum congregatas adfirmet, id haud immerito de potissima, et omnium maxima intelliges collectione, de Oceano nimirum, quemadmodum et Hebraei interpretantur. Exploratissima namque res est, maria omnia inter se communicare, nec nisi ex pluribus unum effici, quo fluvii, lacusque corrivant. Tametsi vero de mari Caspio aliqua suboriatur dubitatio, quod ab Oceani communione interclusum videatur, ex diligentioribus tamen speculationibus id ratum apud omnes pene est, per occultos emissarios, arcanosque meatus continuari illud cum Oceano, vel cum Ponto Euxino, aut cum sinu Persico. Sed ne controversiae ullus omnino pateat locus (scio namque philosophorum plerosque, Aristotelis fortasse nixos auctoritate, aliena putare) profecto ea aquarum congregatio *in unum locum* nonnisi distributive accipienda (49), perinde

(49) Favet interpretationi huic Hebraica vox

ac si dixisset congregentur aquae *in suum quemque locum*, sive conceptaculum, ut necessaria terrae ad animantium habitationem portio sicca relinquatur (50).

IV. Terrae porro communi nomine quum

ימים *maria* plurali usurpata numero. Quam lectionem Graeca versio sequitur τα συστηματα των υδατων *collectiones aquarum*, nec non Latina *congregationes*. Quid quod Septuagintaviralis versio post versum nonum haec habet (quae in Hebreo, Latinoque codice desiderantur): *Et congregata est aqua, quae sub caelo erat, in congregationes suas, et apparuit arida*. Itaque *congregationis* singulare nomen *distributive* accipiendum, sic ut in unum locum, unamque congregationem, sed non eamdem omnes aquae corrivatae sint.

(50) Insignis in hanc rem est Strabonis locus *Lib.* XVIII. *Geogr. Quum circum terram sit situs aquae naturalis; homo autem non sit animal aquaticum, sed partim terrestre, partim aëreum, multisque partibus lucis capax, fecit providentia multas in terra extantias, depressionesque; ut hac quidem reciperent aquam, aut plurimam eius partem, qua occultaretur, quod sub ea est terrae, per illas vero attolleret se terra, ac sub se aquas occultaret, nisi quatenus eae ipsae humano generi, et quae huic inserviunt, animalibus, plantisque essent usui.*

et ea veniat pars, quae aquis submersa est, itemque quae discooperta, non frustra Moses subdit: *Et appellavit aridam terram*, nimirum illam partem, quae aquis nudata. Nisi quod Chrysostomus addit *Hom.* I. adposite dictam *aridam*, ut intelligeres, quaecumque posthac ibi ad nostram utilitatem creata fuere, non a nativa terrae virtute, quae in se nulla erat, sed ab infinita Dei bonitate fuisse nostro usui producta. Id quod Ambrosius *Lib.* III. *Hexaëmer. cap.* VI. insinuare videtur. Quo ad alteram vero terrae partem aquis submersam, Moses inquit: *Congregationesque aquarum adpellavit maria.* Frequens ea Scripturarum phraseologia, quibus aquarum collectiones quaecumque, maria dicuntur, ut mare Galilaeae, mare Tyberiadis, quae mere paludes erant, aut lacus.

V. Post haec autem scriptum est: *Et vidit Deus quod esset bonum.* Divina probatio quae alterius diei operi in Hebraeo, Samaritico, et Latino textu non subiicitur (51),

(51) In Graecis tamen codicibus expresse post secundum diem legitur: *Et vidit Deus quia bonum est*, quam lectionem Basilius tenuit, Chrysostomus, Graecique omnes, nec non ex Latinis Ambrosius, Basilii sui vestigia solitus premere.

his hodie ponitur. Suspicantur hinc Hebraeorum magistri quamplures, in primis Aben Hezra, itemque ex Christianis doctissimi quique, aquarum confluxum, terraeque emersionem ad hesternum diem pertinere, sic ut universa aquarum ordinatio uno die prodierit: Quamobrem post comma illud: *factumque est vespere et mane dies secundus*, quod sequitur: *Dixit vero Deus congregentur aquae*, ita interpretantur: *Hoc quoque dixit Deus: congregentur aquae.* Secus enim, nisi aquarum ista congregatio diei secundo tribuatur, carebit hic dies commendatione sua, quae singulorum dierum operibus subiicitur. Tametsi Rabbi Selomoh vel ideo secundum diem divina adprobatione destitutum putat, quod nondum opus diei alterius perfectum erat, sed tertio demum elaboratum, perpolitumque fuerit.

SECTIO II.

Stirpes, plantasque revera ne produxerit terra, an virtutem tantum eas producendi acceperit. Augustini sententia expenditur. An perfectae initio plantae extiterint. Autumni tempore mundi natalis statuitur.

I. Ubi primum montibus, vallibusque asperata tellus aquis emerserit, voce Dei, quae ipsa Conditoris voluntas est, et omnipotentia, stirpes plantasque produxit terra, et iuxta genus suum semina quaeque. Tametsi vero Augustinus nonnisi producendi dumtaxat virtutem hodie terram accepisse arbitretur (52), nihil tamen impedimenti video, quominus, ut animantia, sidera, ceteraque omnia, ita, et virgulta etiam actu procreata dicantur. At-

(52) Augustini verba *Lib.* V. *de Gen. ad litter. cap.* IV. non piget hic subiicere: *Caussaliter tantum tunc dictum est produxisse terram herbam, et lignum, idest producendi accepisse virtutem.* Quam sententiam, nisi maxime fallor, tueri videtur Sanctus Thomas in *art.* 2.

Atque hac in re Augustini iudicium miror ; qui illud sibi favere existimavit quod *Gen.* II. 4. fecisse Deus dicitur *omne virgultum agri*, *antequam oriretur in terra* : quod tantum abest, ut sua placita firmet, ut potius valentissime destruat. Non enim aliud eo insinuatur loco, quam quod plantae universae haud quidem naturali modo, sed conditoris tantum potentia prodierint, antequam homo esset, qui terram exerceret, antequam et sole, et imbribus fotum semen excluderetur, herbesceret, floreret, fructificaret. Re enim vera ipsae Scripturae rem e vestigio explicant quam luculentissime : *Non enim pluerat Deus super terram*, *et homo non erat*, *qui operaretur terram*.

II. Porro autem non huiusmodi principio extiterunt plantae, quales tunc primum natae esse solent, sed perfectae quidem, cum suis utique fructibus seminibusque. Vt enim illud praeteream *Deuteron.* XXXII. 4. *Dei perfecta sunt opera*, profecto dubitari non potest, quin onustae pomis arbores initio fuerint, ut quo vescerentur tum homo, tum ceteri animantes haberent. Patet id ex ipsis Scripturis immo ex verbis ipsis, quibus hominem fatus est Deus : *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, et universa ligna, quae*

habeant in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam: et cunctis animantibus terrae, omnique volucri caeli, et universis quae moventur in terra, et in quibus est anima vivens, ut habeant ad vescendum.

III. Porro ex fructuum maturitate adprime constat in autumni tempora (53) incidisse mundi natalem, quod nonnisi de ea tantum mundi plaga dictum volo, in qua conditus est homo. Patet enim in aliis regionibus alias pro diverso positu fuisse tempestates. Atque huc facit vetus putandorum annorum ratio ab autumno Hebraeis (54), Aegyptiisque (55)

---

(53) Ita profecto doctissimi quique non uno ducti momento statuunt. Dignus qui in primis conferatur Cl. Petavius *Lib.* IX. *de Doctrina Tempor. cap.* VI. et in *Ration. Temp. Par.* II. *Lib.* II. *cap.* I. Tum et Scaliger *de Emendat. temp.* Vsserius in *Annal. Ecclesiast.* Picus Mirandulanus *Lib. cont. Astrol. cap.* VII. Perrerius *Lib.* I. *in Genes.* quibus addas Lyranum, Tostatum, Serrarium.

(54) Ita sane ex Scripturis, unde et aestatis exitus finis anni vocatur *Exod.* XXIII. 16. et XXXIV. 22.

(55) Aegyptios anni exordium a Septembri duxisse solitos, Tullius testatur *Lib.* II. *de Nat. Deor.* tum et Lactantius *Lib.* I. *Divin. Institut.*

ante hominum memoriam usurpata. Tametsi enim Moses Divino iussu, *Exod.* XII. 2. ab verno mense Nisan, qui Martio respondet, annum sacrum inchoaverit, in civili tamen nihil quidquam voluit immutatum (56), qui a mense Tisri autumnalium primo ducebat exordium, quo a Patribus accepto ab ipsis prope mundi incunabulis Patriarchae usi perpetua sunt successione.

(56) Insignis est Josephi locus *Lib.* I. *Antiquit. Judaicar cap.* I. *Moses autem Nisan, qui est Xanticus, mensem primum in suis fastis ordinavit, quod per hunc Hebraeos ex Aegypto eduxisset: eundem etiam omnium, quae ad rem divinam pertinerent, exordium fecit; alioqui quod ad nundinationes rerum venalium, reliquamque dispensationem anni attinet, nihil de pristino ritu innovavit.*

CAPUT V.

De Opere quarti diei.

In Mosis verba.

(DIXIT AUTEM DEUS: FIANT LUMINARIA IN FIRMAMENTO CAELI, ET DIVIDANT DIEM, AC NOCTEM, ET SINT IN SIGNA ET TEMPORA, ET DIES ET ANNOS. UT LUCEANT IN FIRMAMENTO CAELI, ET ILLUMINENT TERRAM. ET FACTUM EST ITA. FECITQUE DEUS DUO LUMINARIA MAGNA: LUMINARE MAJUS; UT PRAEESSET DIEI, ET LUMINARE MINUS, UT PRAEESSET NOCTI, ET STELLAS. ET POSUIT EAS IN FIRMAMENTO CAELI, UT LUCERENT SUPER TERRAM, ET PRAEESSENT DIEI AC NOCTI, ET DIVIDERENT LUCEM AC TENEBRAS. ET VIDIT DEUS, QUOD ESSET BONUM. ET FACTUM EST VESPERE, ET MANE DIES QUARTUS).

Sol unde formatus. Eius fabricatio cur ad hanc usque diem protracta. Caelestia corpora omnia an simul hodie emerserint. Ex eorum positu an quidquam praedici possit. Quomodo Luna luminare magnum dicatur. Stellae utrum animas habeant. Patrum documenta producuntur. Origenes refutatur.

I. Ex ignea massa, quae veluti solis rudimentum noctes diesque suo motu circumferebat (57), hodie iam in suas dissecta partes, tamquam in igneos globos, Sol, Luna, ceteraque caelestia corpora prodierunt. Quorum fabricationem vel eo consilio ad hanc usque diem distulisse Deus videtur, ut et dierum, noctiumque intervalla sciremus sine Sole posse constare, et herbas stirpesque absque illius fotu oriri ab humo potuisse. Id quod Ambrosius *Lib.* IV. *Hexaëmer. cap.* I. adversus deliramenta Gentium, quibus Sol ac Luna veluti numina quaedam adorabantur, eloquentissime insinuat (58): *Prius firmamentum caeli adspice, quod ante solem factum*

---

(57) Confer quae in hanc rem supra diximus pag. 63. et *seq.* quibus addas quod Severianus *Hom.* III. putavit, ex luce primi diei, tamquam materia caelestes istas faces procreatas, et accensas. *Vt si quis massam auri proferat, atque deinde nummos ex ea percutiat: ita Deus dispositionem lucis ordinavit.*

(58) In eamdem sententiam scripserat Basilius in *Hèxaëmer.* tum et Chrysostomus *Hom.* VI. *in Gen.* Severianus *Hom.* III. *Hex.* S. Thom. I. P. *Quaest.* LXX. *art.* 1.

est: terram adspice, quae antequam sol processeret, coepit esse visibilis, atque composita. Germina eius adspice, anteriora solis lumine. Anterior bruchus quam Sol; antiquior herba, quam Luna. Noli ergo Deum credere, cui vides Dei munera esse praelata. Tres dies transacti sunt, et Solem nemo quaesivit, et luminis claritas abundavit. Habet enim et dies suam lucem, quae praecessor est solis.

II. Porro luminaria ista, Moses inquit, in firmamento caeli posita, ut *sint in signa et tempora, et dies, et annos.* Id quo modo intelligendum, paucis expediam. Primum vero caveas, ne caelestia corpora ita IN SIGNA posita credas, ut si ex vario eorum adspectu, sub quo homines nascuntur, praedici possint (quod per summam insaniam Genethliaci solent) tum vitae vicissitudines, vel secunda, adversaque fortuna, tum morbi etiam, atque ipsius mortis demum vel genus, vel tempus. Huiusmodi enim divinationum fallaciam Deus millies in Scripturis improbat, potissimum *Jerem.* X. 2. *Haec dicit Dominus: iuxta vias Gentium nolite discere, et a signis caeli nolite metuere, quae timent gentes* (59). Vnde Mosis mentem in loco

(59) Addas Isaiae illud XLIV. 24. *Ego sum*

quem versamus scite aperit Augustinus *Lib.* II. *de Genes. ad litter. cap.* XIV. *Non illa signa dicit, quae observare vanitatis est; sed utique utilia, et huius vitae usibus ne-*

Dominus faciens omnia, irrita faciens signa divinorum. Ibid. XLVII. 13. *Stent, et salvent te augures caeli qui contemplabantur sidera, et supputabant menses, ut ex eis annuntiarent ventura tibi.* Vnde saepius non tantum ab Ecclesiastica, sed a saeculari etiam potestate ars huiusmodi vanissima damnata est. Conferas Codicem Theodos. in *tit. de Malefic. et Mathemat.* Itemque Codic. Justin. *Lib.* XII. *tit. eod.* . In primis vero celebrem Sixti V. Constitutionem *Caeli et terrae* an. MDLXXXVI. Sed in re tam seria parumper iocari non dedecet. Adferam enim perlibenter quae adversus astrologos A. Gellius ex Favorino refert Noct. Attic. Lib. XIV. cap. I. *Aut enim* inquit, *astrologi adversa eventura dicunt, aut prospera. Si dicunt prospera, et fallunt, miser fies, frustra expectando. Si adversa dicunt, et mentiuntur, miser fies frustra timendo. Sin vera respondent, eaque sunt non prospera, iam inde ex animo miser fies, antequam e fato fias. Si felicia promittunt, eaque eventura sunt, tum plane duo erunt incommoda; et expectatio te spe suspensum fatigabit, et futurum gaudii fructum spes tibi iam praefloraverit. Nullo igitur pacto utendum est istiusmodi hominibus res futuras praesagientibus.*

cessaria, quae vel nautae observant in gubernando, vel omnes homines ad praevidenda aëris qualitates per aestatem, et hyemen, et autumnalem, vernalemque. temperiem. Re enim vera commodi quantum ex observatione siderum (60) ceperint nautae, potissimum vero ex stella polari, sat norunt rei nauticae periti. Nec vero de siderum usu in agricultura, in medicina, in meteoris, aliisque effectibus naturalibus praenoscendis dicam. Haec quominus fusiori tractem calamo institutum prohibet.

III. Posita item IN TEMPORA huiusmodi caelestia corpora dicuntur, nimirum quod tempora arationis, sementis, putationis, messis, navigationis, et huius generis alia signant (61). Vnde sensu eodem Solem,

---

(60) Phoenices primi omnium astra observasse dicuntur, a quibus Graeci edocti sunt. Porro antequam acus nautica inveniretur, constat quidem sola cynosurae, aliorumque siderum observatione itinera maritima dirigi solita. Quo facit Virgilii illud *Aenead.* VI. *v.* 338. de Palinuro:

Qui Lybico nuper cursu, dum sidera servat,
Exciderat puppi, mediis effusus in undis.

Et elegantissimus Tibullus *Lib.* I. *Eleg.* IX.

Ducunt instabiles sidera certa rates.

(61) Perbelle Aratus, cuius carmina piaculum duco hic praeterire;

Lunam, Errones ceteros Plato in *Timaeo* οργανα χρονου *instrumenta temporis* adpellavit (ex quo lux adfulget Mosaicis, quae sequuntur verbis : IN DIES ET ANNOS si quidem nonnisi ex diurna annuaque sideris conversione metiuntur). Tametsi nonnulli arbitrentur, nonnisi anniversarias sollemnitates per ea TEMPORA notari, ut diem sabbati, primam cuiusque mensis diem, festum Tabernaculorum, Paschatis, Pentecostis, quae

---

Illae non multo cum lumine, sed bene notae
Vespere (nam voluit Deus hoc) et mane feruntur.
Idem illas hyemis venientis iussit et aestus
Signa dare, et quando terras sit tempus arandi.

Quod ipsum Virgilius habet Georg. Lib. I. v. 438.

Sol quoque et exoriens, et cum se condet in undas,
Signa dabit. Solem certissima signa sequuntur.
Et quae mane refert, et quae surgentibus astris

et *vers.* 463.

Sol tibi signa dabit: Solem quis dicere falsum
Audeat?

statis Solis, ac Lunae temporibus solemniter erant celebranda. Quo facit *Ecclesiastic.* XLIII. 7. *A luna signum diei festi.*

IV. Nec porro negotii facessit quidquam, quod Solem, Lunamque LUMINARIA MAGNA adpellarit Moses, quum constet, ceterorum siderum, Mercurio excepto, minimam esse Lunam. Nam vulgi auribus stilum hic adtemperat Moses, et MAGNA praedicat, quae rudis populi oculis specie *magna* adparent; nisi quod reapse ea MAGNA dicas, non quidem mole, sed efficacia, et virtute, ut Chrysostomo placuit (62).

V. Quantum autem id sit hodiernum opus, vel abunde ex hoc caeli ornatu intelliges. Non enim tantum in nobiliori expansi parte Solem et Lunam posuisse Deus hoc die dicitur, sed et STELLAS. Unica vocula quanta (proh Deum!) et mirabilia quantum caelestia corpora veniunt! *Suspice caelum, et numera stellas si potes* (Verba sunt Dei ad Abraham *Gen.* XV. 5.) Multas miriades hactenus numeravimus, sed perfectissimis teloscopiis armabis oculos licet, qui innume-

(62) Ita Chrysostomus *Hom.* VI. *in Gen.* cuius verba et S. Thomas usurpat I. P. *Quaest.* LXX. *art.* V.

rabiles illas numerabis, quae in immensis ac remotissimis caeli spatiis suas sedes et orbitas habent? Adhuc id desperant Astronomi, desperabuntque usque ad saeculorum consummationem. Sed nisi multitudinem potes, vel saltem contemplari aliquantisper magnitudinem adnititor. Quid? vel unius cuiuslibet stellae fixae granditas permultis diametris terraquei orbis superat magnitudinem. Quid de lucis varietate, pulchritudine? quid de earum conversionibus? quid . . . sed unica omnipotentissima voce FIAT haec omnia prodierunt.

VI. Profecto autem astrorum pulchritudo tanta non Ethnicos philosophos tantum, sed ex Christianis plerosque eo adduxit, ut sidera crederent animata. Thaletem quidem, Pythagoram, Platonem, Aristotelem, Theophrastum, Tullium in eo versatos scimus. Id quod Hebraei potissimum tuiti sunt; Philo in primis Platonicae scholae addictissimus, et R. Moses Maiemonides. Tametsi vero de his minus miror, illud tamen est, de quo nemo non dolebit, quod quae dogmata tradiderat Plato, Christianis auribus Origenes instillare veritus non sit (63). Nec enim dum-

(63) Ferre illud nequeo, quod praesidium ex

taxat animalia ratione praedita putavit astra, sed spiritualem eis amplius praeter adspecta-

---

plerisque Scripturarum locis sibi Origenes ad ineptissimam omnium suadendam fabulam advocarit. Huiusmodi sunt quae habentur Isai. I. 2. *Audi Coelum, et auribus percipe terra*, ibidem XXIV. 21. *Visitabit Dominus super militiam Coeli, et erubescet luna, et confundetur sol.* Sic Job XXV. 5. *stellae non sunt mundae coram ipso*, et XV. 15. idem de caelis dicitur. Eodem modo Esdr. IX. 6. Levitae dicunt: *Tu vivificas omnia haec, et exercitus caeli te adorat.* Et Baruch. III. *Stellae laetatae sunt, et vocatae dixerunt, adsumus.* In Ps. CXLVIII. *Laudate eum omnes stellae et lumen: laudate eum caeli caelorum*, ut et in Cantico Danielis. Neque in his tantum posita Origenis argumentatio: nam Hom. IV. in Ezech. Apostoli illud explicans ad Rom. VIII. 19. *Scimus enim, quod omnis creatura ingemiscit*, haec adponit: *est autem creaturarum pars terra, et caelum, et cetera quaeque, quae sub caelo sunt, et quae super caelos.* Vnde quod Apostolus e vestigio subdit: *ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei*, sic ad sua placita adducit: *quis scit et de terra, an secundum naturam suam in aliquo peccato teneatur obnoxia?* Equidem miror, quod allegoriarum auceps iste, qui in Scripturis litterali pessum habito sensu, figuras antehac quaerere consueverat, nunc vero contra quam necesse erat,

bilem lucem adtribuit, et quod magis est, Christum pro eisdem passum. Quod sane et de terra adfirmabat, id e vestigio inferens, *futurum esse, ut in die iudicii, non solum homo, sed etiam universa conditio iudicaretur.*

VII. Ab Origene non aliena habes in Pseudo Clementis *Lib.* V. *Recognitionum*. Videntur et quidam ex Patribus huic adhaerere dogmati: sed ut quod res est ingenue dicam, fatendum est, ex veteribus nonnullos eatenus astra animasse, ut tamquam aurigante intelligentia, ea quasi currus, e suis tramitibus non excederent, quod profecto multo est

---

nihil nisi verborum proprietatem, vel ipso reclamante textu, sectatur. Quid? Danielis III. Sol, Lunae, et Stellae ad laudandum Deum invitantur; ergo animata illa? Sed eodem modo invitantur ibidem imber, ros, ignis, aestus, frigus, pruina, glacies, nives, montes, colles; ergo a pari animata sunt haec? Porro quod magis est, *omnia opera Domini* ibi ad benedicendum invitantur, quid igitur? omniane quae in rerum natura sunt, intelligentia dicamus praedita? Proh Deum! vel quis umquam talia somniavit somnia? Profecto ut ingenue fatear nusquam alibi desipuisse adeo mihi videtur Origenes. Vel enim stipes quisquis prosopopoeiam olfecisset.

tolerabilius. Ceterum Patrum sive Graecorum, sive Latinorum cohors universa aperte huic adversantur dogmati, nihilque praeter brutam materiam in sideribus agnoverunt. Et ex illis quidem Eusebius Caesariensis, Origenianae doctrinae caeteroqui fautor accerrimus, Basilius, Chrysostomus, Theodoretus, Dionysius, Cyrillus Alexandrinus, Damascenus denique qui maiorum insistens vestigiis: *nemo*, inquit, *caelos*, *vel luminaria arbitretur animata. Nam inanimata sunt*, *et insensibilia.* Quin ex eo quod ad Dei laudes invitentur, aut ad ea sermo dirigatur, nihil effici clamat: *Solet enim Scriptura per prosopopoeiam de inanimis, tamquam animatis, verba facere.*

VIII. Ex Latinis vero, ut Lactantium praeteream (64) praesto est Hieronymi auctoritas in *cap.* I. *Isaiae. Quidam caelum et terram*

---

(64) Stoicos philosophos, astrorum motus voluntarios esse autumantes, pluribus refellit Lactantius. Nec aliter voluntarios eos inquit, quam in Archimedis aërea machina effictae astrorum formae suo consilio movebantur, et non potius Archimedis ingenio. Hinc adposite subdit. *Quam sollertiam Divinae potestatis in machinandis itineribus astrorum quia philosophi non videbant, animalia esse sidera putaverunt, tamquam pedibus, et sponte, non divina ratione procederent.*

quasi animantia ad audiendum provocari putant, *iuxta illud*, *quod de terra alio loco dicitur*: *qui respicit terram*, *et facit eam tremere*: *quum hoc potestatis Dei sit*, *non terrenae intelligentiae*. Augustinus autem etsi *Enchirid. cap.* LVIII. de eo addubitasset, tamen tum alibi passim, tum in libro ad Orosium contra Priscillianistas, et Origenistas diserte haec commenta refellit: *Porro*, inquit, *de sole et luna*, *ceterisque sideribus*, *quod caelestia sint corpora videmus*; *quod animata sint*, *non videmus*. *De Divinis hoc libris legatur*, *et credimus*. Invictissime etiam id commenti Ambrosius convellit *Lib.* II. *Hexaëmer.* ubi multa hanc in rem Scripturae loca explicata invenies. Eodem modo Fulgentius, Rupertus, Bonaventura, et Angelicus Thomas.

IX. Quod si quinctae oecumenicae Synodi acta extarent, caussa iam finita esset. Justinianus enim Imperator strenuo huic vesaniae restitit in Epistola ad Mennam Patriarcham Constantinopolitanum. Dignus qui proferatur anathematismus VI. inter multos qui eidem epistolae subiiciuntur (65). *Si quis dicit*, *cae-*

---

(65) Primus omnium Petrus Lambecius quindecim anathematismos adversus Origenem in V. Sy-

lum, et solem, et lunam, et stellas; nec non aquas, quae sunt supra caelos, animatas, et materiales esse quasdam virtutes, anathema sit. Quos anathematismos auctoritate Synodica ratos fecisse Episcopos, Nicephorus *Hist. Eccles. Lib.* XVII. *cap.* XXVIII. Et Cedrenus P. 311. testatur. Quin et Liberatus Charthaginiensis Ecclesiae Diaconus expresse narrat *Breviar. cap.* XXIII. Vigilium Papam cum universa Ecclesia Catholica Justiniani Epistolam probasse.

X. Tametsi vero sideribus vindicare animas confessa haeresis non sit, tamen si tellus, aër, aqua, lapides, et huiusmodi alia promiscue censeantur animata, haeretica pravitas erit, quemadmodum Catholica post Origenem antiquitas perpetuo iudicavit. Nam ut Origenem mittam, qui ex profana philosophia in Christi Ecclesiam id opinamenti monstrum

---

nodo editos ex quantivis pretii Caesareae Bibliothecae vetustissimo codice in lucem emisit, quos Latio mox donavit Baluzius. Genuini ne ii tamen sint, nolo me vadem praebere. Sane enim huiusmodi Canonum meminit Nicephorus; sed vereor ne ex Justiniani potius Epistola (ceteroqui a Patribus eius Synodi recepta) quam ex actis Concilii eos exscripserit.

importavit, bacchantium Manichaeorum temeritatem (*quos non puduit*, verbis utor Titi Bostrensis, *dicere animatos esse lapides*) strenuo fregerunt tum Augustinus *Lib.* VI. *contr. Faust.* tum Patres quotquot. Omnium instar Hieronymum profero, qui ad Matth. illud VIII. 26. *tunc surgens imperavit ventis, et mari*, haec opportune adnotat: *Omnes creaturae sentiunt Creatorem. Quas enim increpavit, et quibus imperavit, sentiunt imperantem: non errore haereticorum, qui omnia putant animantia, sed maiestate conditoris, qua apud nos insensibilia, illi sensibilia sunt.*

CAPUT VI.

De quincti diei Opere.

In Mosis verba

(DIXIT ETIAM DEUS : PRODUCANT AQUAE REPTILE ANIMAE VIVENTIS, ET VOLATILE SUPER TERRAM SUB FIRMAMENTO CAELI. CREAVITQUE DEUS CETE GRANDIA, ET OMNEM ANIMAM VIVENTEM, ATQUE MOTABILEM, QUAM PRODUXERANT AQUAE IN SPECIES SUAS, ET OMNE VOLATILE SECUNDUM GENUS SUUM. ET VIDIT DEUS QUOD ESSET BONUM BENEDIXITQUE EIS, DICENS : CRESCITE ET MULTIPLICAMINI, ET REPLETE AQUAS MARIS : AVESQUE MULTIPLICENTUR SUPER TERRAM. ET FACTUM EST VESPERE, ET MANE DIES QUINTUS.)

Natatilium, volucriumque productio explicatur. Volucres ex aqua ne, an ex terra, aut aëre prodierint, pluribus disquiritur. Quae sint cete grandia. Unum ne ex quavis animantium specie, an bina principio caeria.

I. Natura quum inanimis adhuc esset, et emortua, viventem animam prodire Deus hodie iubet. *Producant*, inquit, *aquae reptile animae viventis*, nimirum pisces, de quibus item in Ps. CIII. dicitur: *hoc mare magnum, et spatiosum manibus: illic reptilia, quorum non est numerus* Hebraicum enim שרץ *scerets reptile* (66) non animantia tantum repen-

(66) Tam Hebraicum שרץ scerets, quam Graecum ερπω, et ερπετον, atque latinum *repere* et *serpere* latissimam habent notionem, quidquid lexicographi clament. Quoad Hebraicum *scerets* pertinet, de omnium ex aequo terrestrium animalium processu, sive cruribus alternantibus, sive pertracto corpore incedant, usurpatur *Gen.* VII. 21. *Levit.* XI. 29. 41. 42. tum et de volatilibus in commune *Lev.* XI. 23. *Deut.* XIV. 19 tum demum de aquatilibus *Gen.* I. 20. 21. *Exod.* VIII. 3. *Lev.* XI. 10. Ex quo illud concludendum, hebraicum *scerets* ad universa animantia sive terrestria, sive volatilia, sive aquatilia, quamcumque incedendi habeant rationem, ex aequo pertinere. Quod vero ad Graecum ερπω spectat, innumera possem ex Homero potissimum advocare documenta, quibus intelligas de quacumque animante eam frequentissime usurpari. Vnde in Oxoniensi anti-

tia terram signat, sed natatilia quoque, quae aquas nullo pedum praesidio sed pertracto corpore tranant.

II. Porro ex Mosaico textu volucres etiam quincto hoc die produxisse Deum constat; nisi quod ille inextricabilis prope videtur no-

---

quo marmore apud Prideaux *Marm. Oxon. p.* 116. ερπετα ες το αρχειον *in curiam intrandi ius habeto*, et mox κατα τος ανδρας τος ερποντας *pro numero ad bellum euntium.* Sed ne ex Scripturis recedam, aliquoties ερπετα ab avibus separantur, ita ut de terrestribus intelligantur, ut *Gen.* VI. 7 VIII. 19. *Ps.* CXLVIII. 10. alibi vero a terrestribus seiunguntur, ita ut volucres sint, ut *Lev.* XI. 20. 21. *Deut.* XIV. 19. Demum seorsum tum ab avibus, tum a terrestribus nominantur, ita ut pisces sint, ut *Ps.* LXIX. 35. et alibi. Idem demonstrandum nunc esset de latinis vocibus *serpo*, et *repo*. Sed actum agerem. Nam quae de Graeco ερπω dixi, idem de latino *serpo* dictum intelliges, una enim eademque vox est, quandoquidem ab ερπω, spiritu in sibilum mutato, factum est *serpo*; quod si Graeci vocabuli priores litteras duas transponas, habes ipsissimum latinum *repo*. Haec ideo, ut videat quisquis recte quantum statuerint nonnulli, hebraica voce *sccrets* in commune terrestria, aquatilia, amphibia, natatilia, et volatilia indicari

dus, ex aqua ne, an potius ex terra, aut aëre originem duxerint. Equidem ex aquis et volatilia emersisse constanter teneo, quod tum Septuagintaviralis Scripturarum versio suadet: *producant aquae reptile animae viventis*, *και πετεινα πετομενα επι της γης* *et volatile quod volet super terram*, tum vulgata: *et volatile super terram sub firmamento caeli*; tum demum Targum Onkelos, et Arabica interpretatio (67).

III. Atque isti avium ex aqua origini non exiguum profecto accedit pondus ex iis, quae apud Auctorem (quisquis ille sit) *Lib.* IV. *Esdrae* habentur, qui nulla quamvis in statuendis dogmatibus polleat auctoritate, siquidem apochryphus, multum tamen ad communem Hebraeorum testandam traditionem idoneum est. Scriptum enim ibi *cap.* VI. 47. *Quincta autem die dixisti septimae parti, ubi erat aqua congregata, ut procrearet animalia, et volatilia, et pisces, et ita fiebat.*

---

(97) Opponunt nonnulli textum Hebraicum ועוף יעופף *veoph jeopheph et volatile volet.* Sed ea est ellypsis relativi praenominis, Hebraeis familiaris, unde reddas: *et volatile quod volet*, quam lectionem, ut ceteros Hebraeos praeteream, adprime tenet Targum Onkelos.

Quam sententiam universa pene Patrum cohors confirmat. Opportunissimus omnium, quem profecto audiamus, est S. Basilii locus *Hom.* VIII. *in Hexaëmer. Volatilibus, et natatilibus quasi consanguinitas quaedam est. Nam uti pisces aquam secant, agitatione quidem pinnarum ad ulteriora progredientes, caudae vero motatione flexuosos ac rectos motus, et impetus sibi gubernantes, sic idem et in volucribus conspicere licet, quae per aërem pennis similiter natant. Quare quum una sit utrisque communis conditio, ipsis affinitas ex aquarum generatione tributa est* (68).

IV. Ipsissima sane est tum Joannis Chrysostomi mens *Hom.* VII. *in Gen.* tum Cyrilli Alexandrini *Lib.* I. *Glaphyror.* Joannis Da-

(68) Non aliunde, quam ex communi piscium aviumque ex aquis ortu factum, ut veterum Christianorum nonnulli non magis avium, quam piscium usum sibi in quadragesima interdictum putarint. Cuius rei testes habemus Epiphanium in *Exposit. Fidei Cathol.* Socratem *Hist. Eccl. Lib.* V. *cap. X.* et Nicephorum; tum et Concilii Aquisgranensis *Can.* LXXVIII. et Epistolam Theodemari ad Carolum Magnum. Quid vero? ex eo ipso sequioris aevi plerique ut utrisque vescerentur sibi permissum suaserunt.

masceni *Lib.* II. *de Fide orthodoxa*, Hieronymi, et Marii Victoris, cuius ille est vulgatissimus versus:

Ergo materies avibusque, et piscibus una est.

Quam in rem plura adfert eloquentissimus Ambrosius *Lib.* V. *Hexaëmer.* cuius Hymnum Ecclesia canit in Vesperis feriae V.

Magnae Deus potentiae
Qui fertili natos aqua
Partim relinquis gurgiti
Partim levas in aera.
Demersa lymphis imprimens
Subvecta caelis erigens
Ut stirpe ab una prodita
Diversa repleant loca.

Augustinus vero *Lib.* III. *de Gen. ad litt. cap.* VII. media insistens via, pisces ex aqua crassiori, ex tenui vero, quam pendulam mansisse in aëre diximus, volucres prodiisse docet.

V. Humum contra volatilium matricem esse, ut quidam suaderent, eo illud *Gen.* II. 19. adducunt: *Formatis igitur de humo cunctis animantibus terrae, et universis volatilibus Caeli*, quo et quadrupedis et alitibus eadem tribui videtur origo. Sed tamen patet το *volatilibus* non ad *de humo* referri, sed

ad *formatis*, unde omnis exsufflatur dubitatio. Quid quod Augustinus *Lib.* IX. *de Gen. ad Litt.* eo inclinat, ut terra hic loci universaliter adpelletur simul cum aquis, ut sit globus terraequeus, veluti quum dicitur: *Laudate Dominum de terra dracones, et omnes abyssi,* licet abyssi non sint proprie in terra, sed in aquis. Ceteroqui si vere avium origo e tellure fuisset, cur non sexto die cum terrestribus prodierint?

VI. Porro ut reliqua huius diei persequar, e vestigio subdit Moses: *creavitque Deus cete* (69) *grandia*, Hebraice תנינים *than-*

(69) Et huc pertinent *Phocae*, aliis *Bocae* quae boando, mugiendoque, aërem tanto strepitu feriunt, ut, Rondeletio teste, per intervallum duarum Leucarum audiantur. *Orcas* item inter opera huius diei censeas, quae balaenis infestissimae, tum et *hippopotamos*, et centenos millenosque alios immanes pisces, de quibus conferantur solertissimi quique naturae contemplatores in primis Bochartus in *Hierozoicho*, Aldrovandus in *de Piscibus*, Gesnerus, Abbas Pluche, aliique. Quod vero de cetis inquit Ambrosius *Lib.* V. *Hexaëmer. qui si quando supernatant fluctibus, ambulare insulas putes, montes altissimos summis ad caelum verticibus eminere*, nonnisi hyperbolicos accipias velim; nam ut summus vir Bochartus in Hierozoi-

nimim, (70) ex quo videntur non ceti tantum, sed quotquot praegrandis molis pisces

---

co *Lib.* I. *cap.* VII. testatur, grandiores cetos *plerumque quinquaginta*, *raro admodum centum pedum mensuram excedere*. Vnum tamen in Oceano Britannico captum refert Scaliger longitudinis pedum CXX., altitudinis vero tantae, ut obequitantium non solum conspectus adimeretur, sed voces inter se, tamquam trans collem editae viderentur. Quae quum ita sint, cave nè *Matth.* illud XII. 40. ubi Jonas fuisse dicitur in ventre ceti, de ceto proprie dicto accipias, veluti de balaena, pristi, aut physetere, quae licet inter marinas belluas immanes sint, gulae tamen meatus angustiores habent, quam ut integrum hominem transglutire valeant. Igitur *cetus* ibi eo modo intelligendus quo Jonae II. 1. PISCIS MAGNUS, quem non immerito Clarissimus Bochartus lamiam fuisse, vel charchariam suspicatur in suo *Hierozoic. Lib.* V. *cap.* XII.

(70) Ex Hebraico *thanninim*, quo cetus significatur, Phoenices thynni adpellationem cuderunt; quippe thynnorum piscatione celeberrimos eos prodit Aristoteles. Thynnos vero cetis adcenseri Archestratus auctor est apud Athen. *Lib.* VII. et Sostratus *Lib.* περι ζωων. Hinc apud Varronem *Cetarii* audiunt thynnorum piscatores, et κητια Siculis thynnorum piscatio, Aeliano teste *Hist. Lib.* XIII. *cap.* XVI. Huc facit Horatius *Serm. Lib.* II. *Sat.* V.

hac die producti (71), potissimum vero, et proprio ni fallor sensu *Dracones*, de quibus in Ps. LXXIII. 13. *Contribulasti capita draconum in aquis*, et in Ps. CXLVIII. 7. *Dracones et omnes abyssi.*

VII. Demum hodierno operi volatilibus, natatilibusque Divina accedit benedictio: *benedixitque eis dicens, crescite, et multiplicamini, et replete aquas maris*, quibus foecunditas tanta iisdem impertita est, quanta vel ex ovorum infinita congerie datur intelligere. Porro autem ex eo contendunt nonnulli, bina initio cuiusque speciei animantia producta, quemadmodum innuere videtur S. Basilius in *Hexaëmer. Hom.* VII. et expressissime Lactantius. *Lib.* II. *Divin. Instit.* Augu-

---

Plures annabunt thynni, et cetaria crescent ubi cetaria sunt loco thynnis conferta.

(71) Rabbinorum fabulas hic morari non piget; quas et habes in apochrypho Esdrae Libro IV. *cap.* VI. 49. 50. quo Deus duas ingentes belluas initio dicitur ceasse, Henoc, et Leviathan; atque Henoco adsignasse montes mille ad inhabitandum, huic vero mare. Contenduntque Rabbini Leviathan a Deo servatum (sale conditum) ut lautum diebus Messiae iustis epulum praebeat, Henocum vero occisum.

stinus tamen *Lib.* XII. *de Civ. Dei cap.* XXI. hoc inter hominis, et animalium cetcrorum extitisse discrimen inquit, ut ille unicus initio extiterit, haec vero plura gregatim. Re enim vera hominem quasi terrae dominum ipse per se Deus formavit; at cetera animantia omnia ut fierent in hominis famulatum, id terrae et aquis permisit, quae vires quantas potuerunt exseruerunt, tum ad stirpes producendas, tum ad animalia quaevis, sive terrestria, sive aquatilia, et pennata, unde plura confertim in unoquoque genere prodierunt. Quid quod ad id suadendum, aptissimum argumentum ex tunicis pelliceis ducitur, quas Deus ad amoliendum nuditatis pudorem primis parentibus fecit. Quum enim illi non multo post ipsorum creationem peccarint, sequeretur aliquod animantium genus deperiisse antequam gignendi tempus advenerit.

CAPUT VII.

De sexti diei Opere.

In Mosis Verba.

(DIXIT QUOQUE DEUS PRODUCAT TERRA ANIMAM VIVENTEM IN GENERE SUO, JUMENTA, ET REPTILIA, ET BESTIAS TERRAE SECUNDUM SPECIES SUAS. ET FACTUM EST ITA. ET AIT FACIAMUS HOMINEM AD IMAGINEM ET SIMILITUDINEM NOSTRAM: ET PRAESIT PISCIBUS MARIS, ET VOLATILIBUS CAELI, ET BESTIIS, UNIVERSAEQUE TERRAE, OMNIQUE REPTILI QUOD MOVETUR IN TERRA. ET CREAVIT DEUS HOMINEM AD IMAGINEM SUAM. AD IMAGINEM DEI CREAVIT ILLUM, MASCULUM ET FEMINAM CREAVIT EOS. BENEDIXITQUE ILLIS DICENS: CRESCITE, ET MULTIPLICAMINI, ET REPLETE TERRAM, *cet.* VIDITQUE DEUS CUNCTA QUAE FECERAT: ET ERANT VALDE BONA ET FACTUM EST VESPERE ET MANE DIES SEXTUS).

SECTIO I.

Homo cur postremus omnium a Deo creatus. Eius supra ceteros animantes praestantia. Quid sit quod ad imaginem et similitudinem Dei factus dicatur.

I. Nimirum id reliquum erat, ut caelo fabricato, terraque subter fundata, frugibus, plantisque natis, atque reptilibus, volatilibus, quadrupedisque productis, postremus omnium homo in mundum, veluti in paratum theatrum induceretur (71). Quum enim hominis gratia condita haec rerum universitas esset, par quidem ac necesse videbatur, non prius principem, et rectorem existere, quam illa quibus imperaret, ut constituto iam imperio, tum demum Imperator designasetur (72).

II. Qui igitur dominari in omnia posset (73),

(71) Eximia prorsus sunt, quae hanc in rem conferunt Philo in *Cosmop.* Gregorius Nyssenus *de Hom. opificio* et Lactantius *Divin. Instit. Lib.* II. *cap.* IX.

(72) Ex eo vides universi artificii rationem. Nam I. biduo creationis *magnas mundi partes* condidit Deus et maria, et terras, et quod tegit omnia caelum. II. biduo mundum sua supellectile instruxit, ornavitque, creatis tum in terra plantis, tum sideribus in caelo. III. biduo incolas addidit, bruta animantia quaevis, tum demum Hominem vita, ratione, sapientia, divinisque bonis omnibus ornatum.

(73) Hominis in celeras animantes dominatui

sexto die prodiit homo (74). Cuius supra ceteros animantes dignitatem, praestantiamque ipsa procreationis ratio adstruit, siquidem non tumultuarie, neque imperiali verbo, sed familiari manu a Deo plasmatur, et consultatione prius adhibita. Vnde Prosper in Carmine de Providentia:

—— Cumque omnia verbo
Conderet; hunc manibus, quo plus genitoris haberet,
Dignatur formare suis ——

Id quod et Patres quique doctissimi notarunt (75), quorum omnium instar unum Gre-

---

adprime Stoicorum dogma adversari videtur apud Plutarchum: *nullum ius homini esse in animantia cetera*. At nisi Stoicos contra ipsam experientiam clamasse dicamus, Cicero potius audiendus, qui Stoicos aliud quidem inducit docentes: *Homini nihil esse iuris cum bestiis*; ex quo patet, non ius in bestias negari, sed cum bestiis.

(74) Non praetereunda hic Philonis Judaei ratio, quod a Caeli opificio ortus Deus in βραχυν ουρανον *parvum veluti caelum* desineret; vel ut Nazianzenus inquit *Orat.* XXXVIII. οιον τινα κοσμον δευτερον, εν μικρω μεγαν, *in mundum alterum, in parvo magnum*.

(75) Ita namque S. Basilius *Hom.* X. *in Hexaëmer.* S. Gregorius Nyssenus, Basilii frater, *Lib.*

gorium Pontificem profero *Lib.* IX. *Moral. cap.* XXVII. „ Quamvis per coaeternum Patri Verbum cuncta creata sint, in ipsa tamen relatione creationis ostenditur, quantum cunctis animalibus, quantum rebus vel caelestibus, sed tamen insensibilibus homo praeferatur. Cuncta quippe dixit, et facta sunt. Quum vero facere hominem decernit, hoc praemittit, dicens: faciemus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram. Vt videlicet quia rationalis natura condebatur, quasi cum consilio facta videretur. Quasi per studium de terra plasmatur, et inspiratione conditoris in virtute spiritus vitalis erigitur: ut scilicet non per iussionis vocem, sed per di-

---

de Opific. hominis. Tertullianus *Lib.* II. *contra Marcion.* Chrysostomus *Hom.* X. *in Gen.* Theophilus Antiochenus *Lib.* II. *ad Autolyc.* Cyrillus *Glaphyr.* II. nec non Prudentius in *Apotheos. vers.* 1099.

—— iusserat ut lux
Confieret; facta est, ut iusserat: omnia iussu
Imperitante novas traxerunt edita formas.
Solus homo emeruit Domini formabile dextra
Os capere, et flabro Deitatis figmine fingi.

gnitatem operationis existeret, qui ad conditoris imaginem fiebat ,,. Quam in rem praeclara sunt quae Severianus Gabalorum Episcopus confert *Hom.* V. *in Hexaëmen. Vide differentiam hominum, et brutorum. In producendis reliquis simul omnia Deus induxit; hoc est animam ipsam una cum corpore. Animadverte quaeso : fecit natatilia : corpus simul et animam creavit. Educat , inquit , terra animalia. Prodiit una cum corpore etiam anima. Homini vero prius corpus fecit, deinde animam.*

III. Sed ipsa Dei verba , quibus exquisiti operis magna cietur expectatio , paullisper pensitemus. FACIAMUS HOMINEM , dixit Deus ; sed quis dixit , nisi Deus Pater , et cui dixit , nisi Filio , et Spiritui Sancto ? Nec alia antiquorum Patrum interpretatio est, inde Trinitatem adversus Judaeos , Filiique Divinitatem contra Arianos praedicantium ; de qua re abunde a nobis superiori libro actum est.

IV. Multo autem sublimior nominis adparet dignitas ex eo quod dicitur : *ad imaginem et similitudinem nostram.* Hinc enim hominem *μικροθεον parvum* Deum , locutione a Sacris Scripturis non àliena adpellare merito posses (vel potius , quando hyperbolicam

*

phrasim abducendam putes, θεοεικελον *Dei similem*, quemadmodum dixit Homerus). Quo sane *Psalmi* VIII. illud facit, quod de homine ex septuagintavirali versione dicitur: *Minuisti eum paullo minus ab Angelis*, quo loco fons Hebraicus habet *ab Eloim*, unde a Hieronymo vertitur: *Minues eum paullo minus a Deo*.

SECTIO II.

(MASCULUM ET FEMINAM CREAVIT EOS)

Hevae formatio an ipso die, quo conditus Adam. Cur ex viri latere, et non ex humo potius facta. Historiae veritas constabilitur. Caietanus castigatur.

I. Adami creationem sequuta est hoc ipso die Coniugis formatio, ut ex Mosaico textu perspicue patet: *masculum et feminam creavit eos*, et ex eo quod sequitur: *crescite et multiplicamini* (76). Mirabilem vero huius pri-

(76) Non vero die septimo, ut Origeni, Chrysostomo, et Thomae placuit, id ex eo ducentibus, quod Moses post sexti diei opus mulieris formationem exequitur. Quod utique per recapitulationem factum est.

mae matris hominum formationem ita Moses exprimit *Gen.* II. 21. *Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam; quumque obdormisset, tulit unam de costis eius, et replevit carnem pro ea: et aedificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem, et adduxit eam ad Adam. Dixitque Adam: hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea: haec vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est* (77).

II. Hebraicum autem תרדמה *thardemah* Septuaginta interpretes ἐκστασιν *ecstasin* verterunt, quod vocabulum tum mentis excessum, tum soporem, etiam et somnum apud Hesychium significat. Quo redeunt Aquila, et Symmachus, quorum ille καταφοραν *exces-*

---

(77) Profecto piget heic putidissima illa referre, quae de Lilith priore uxore commenta sparserunt Rabbini. Plato vero in Symposio tres narrat initio conditos, marem, feminam, et androgynum ex maris feminaeque dorsis cohaerentibus compositum. Ex quo fonte mihi videntur potasse Judaei, fabulati, Adamum, et Hevam principio tergis coniunctos, postea discriminatos: cui prorsus anili fabellae etiam Georgius Venetus subscripsit, et de quo magis miror, August. Steuchus Eugubinus Episcopus Kisamensis Can. Congreg. S. Salvatoris in sua *Cosmopoeïa*.

sum, hic *καρον soporem* reddidit. Tertulliano autem audit *amentia*, idest sacer mentis excessus; *ut eius mens* (verba sunt Augustini) *particeps fieret tamquam Angelicae curiae*, *et intrans in sanctuarium Dei intelligeret novissima*. Nec abludit Bernardus *Serm*. II. *in Septuag*. *Incommutabilis veritatis intuitu, corporeis excedens sensibus obdormisse videtur*. Quod inde persuadet, quod quae interim fiebant, sibi divinitus patefacta, expergefactus exposuit.

III. Cur autem non ex humo potius, quam ex viri latere prodierit mulier, has invenio rationes, *sive ne femina principatum adfectaret*, *qui viri est*, ut inquit Barcepha; sive ut adumbraretur mysterium Ecclesiae ex Christi mortui latere prodeuntis. Vnde Augustinus *Tract. in Joan*. inquit: *Dormit Adam*, *ut fiat Heva*, *moritur Christus*, *ut fiat Ecclesia. Dormienti Adae fit Heva de latere*: *mortuo Christo lancea percutitur latus*, *ut profluant Sacramenta*, *quibus formatur Ecclesia*.

IV. Quod si vero Origenes tam pessime in Ecclesia audit, quod priora tria Geneseos capita ad allegorias traduxerit, quis aequo animo Caietanum ferat, Hevae formationem ad parabolicos sensus referentem?

Contendit iste uno momento Hevam cum Adamo ex terra formatam, Mosis verbis innixus: *Masculum et feminam fecit eos*: Nec alia quae adfert tanti sunt, ut eorum difficultate fractus de illustris historiae veritate quisquam dubitet, potissimum quum pluries in Scripturis confirmetur, velut *Eccles.* XVII. 1. in *Ep. ad. Corinth* XI. 8. ad *Timoth.* II. 13. et ab ipso Adamo: *hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea.* Quid quod Caietani figmento concors et universa resistit Patrum traditio (78), resistunt Rabbini doctiores, et quod magis est ante Rabbinos Flavius Josephus *Antiquit. Judaic. Lib.* I. sic ut Hieronymus in *Comment. Ep. S. Pauli ad Philemonem* hanc historiam inter fidei dogmata adscribere non dubitarit.

V. Vt autem Hieronymum ipsum, Augustinum, ceterosque Patres mittam, qui tantum errorem multo ante iugularunt, opportunissima sunt quae a Cyrillo *Lib.* III. disputantur contra Julianum. Quae inter memoratu dignissima sunt duo: *Hevam adiutricem in liberis procreandis factam, non ut in partem consiliorum veniret*, quod contra Julianum

(78) Confer Natalem Alexand. *Hist. Vet. Test. Dissert.* III. *art.* 2.

est, Hevae formationem ideo fabulosam adseverantem, quod mulier adeo non adiutorium Adae fuit, ut eum deceperit. (79). Alterum vero: *ex costa Adae formatam Hevam, ut Deus maiorem viro erga illam affectum ingeneraret.*

CAPUT VIII.

De septimo Die ab orbe condito eiusque sanctificatione.

I. Sex diebus conditi Orbis septima successit dies, qua Deus ab universo opere quod patrarat, cessavit. *Igitur* (sequitur Mosaicus textus *Gen.* 2.) *perfecti sunt Caeli, et terrae, et omnis ornatus eorum: complevitque Deus die septimo opus suum, quod fecerat, et requievit die septimo ab universo opere quod patrarat: et benedixit diei septimo, et sanctificavit illum, quia in ipso cessaverat ab omni opere suo, quod creavit, ut face-*

---

(79) Sane vero absurdum id quod dum Hesiodi Pandora, quae ex Hevae historia manavit, admittitur, formatio mulieris ut minus decora, reiiciatur.

ret (80). Numquid autem (inquit Augustinus) dici vel credi fas est, Deum laborasse in operando? quum ea quae supra scripta sunt condidit, quando dicebat, et fiebant? Apage! subdit idem, quies Dei creaturis figura erat quietis illius, quae nobis post exantlatos vitae labores promissa est, et figura item erat Dominicae quietis, quando Dominus noster Jesus Christus die sabbati requievit in sepulcro, postquam sexto die, idest Parasceve, consummavit omnia opera sua.

II. Verumtamen per Divinam quietem, nonnisi cessatio a novo opere intelligenda est, quemadmodum inquit Thomas; nihil enim posthac operatus est Deus. quod non praecesserit in primis operibus. Quod sane expressissimis verbis docet Augustinus *L b.* IV. *de Gen. ad litt.* » Requievit nimirum Deus a condendis generibus creaturae, quia ultra iam non condidit aliqua genera nova: deinceps autem usque nunc et ultra operatur eorumdem generum administrationem, quae tunc instituta sunt. Proinde et quod Dominus ait: Pater meus usque nunc operatur, et ego operor, continuationem quamdam operis eius, qua

(80) Hebraismus est. Videlicet: *quod creavit dum faceret.*

universam creaturam continet, atque administrat, ostendit ».

III. Porro illud postremo in disputationem adducitur, an Deus diem septimum sanctificando iam tunc legem de sabbati sanctificatione promulgarit, sic ut Mosaica lex *Exod.* XX. 8. MEMENTO UT DIEM SABBATI SANCTIFICES, non fuerit, nisi primordialis istius praecepti renovatio. Sed hac in re, quam opportuniori loco ventilabimus, haud diutius nunc libet immorari. Licet autem duo nobis huiusmodi Mosaicae legis fines aperte in Scripturis manifestentur, I. ut populus Israeliticus per Sabbati sanctificationem a ceteris gentibus distingueretur. II. ut liberationis ab Aegyptiorum servitute iugem gratamque conservaret memoriam; tamen non ideo Dominicae quietis excludenda ratio, cuius expressissime meminit Moses: *Memento ut diem Sabbati sanctifices. Sex enim diebus fecit Dominus caelum et terram, et mare, et omnia quae in eis sunt, et requievit in die septimo: Idcirco benedixit Dominus diei Sabbati, et sanctificavit eum.* Sat est igitur ipsum sui interpretem habere Mosem.

IV. Haec autem sunt, quae de mundi fabricatione animadvertenda duximus. Nam quae deinceps in illa primorum hominum historia

consequuta sunt, sex illis diebus, quibus rerum universitatem condidit Deus, non continentur. Nisi quod opportunitatem nacti, quae ad variam hominis conditionem spectant, in unum veluti fasciculum colligata, in proximam coniiciemus dissertationem.

AUCTARIUM

De Mundi conflagratione postrema.

I. De mundi ortu satis iam diximus, pauca nunc de eius interitu subiiciamus. Profecto Scripturae luculentissime testantur, universa quae in mundo sunt conflagratura tandem, caelumque, terramque postremo peritura. Quod non ita dictum velim, ac si caelo terraque funditus subversa, novum caelum terraque nova eodem fabricanda ex integro esset: quemadmodum plerique Patrum insinuare videntur, in primis vero Basilius, Ambrosius, et Hilarius. Christus Dominus enim *Matt.* XXIV. 35. Caelum et terra, inquit, transibunt, verba autem mea non praeteribunt, quo manifestissime patet, non interitura omnino, sed transitura haec, nimirum in melius commutanda, ut pluribus docent Irenaeus, Chrysostomus, Theodoretus, Damascenus aliique quamplures.

II. Sed magni duco clarissima illa duo Ecclesiae lumina Hieronymum et Augustinum hac de re percontari. Sane Hieronymus in Isaiae illud LXV. 17. *Ecce ego creo caelum novum et terram novam*. cui consonat Psalmi locus: *Ipsi peribunt tu autem permanes*, multis-

quidem rationum momentis inculcat, *interitum hetc non abolitionem in nihilum, sed commutationem sonare in melius*. Quin ubi rem hominis exemplo declarasset, qui idem manens varias aetatum differentias permeat, Paulli testimonium urget, *figuram huius mundi praeterire* dicentis, non substantiam: tum et illud Petri *caelos et terram igni esse reservata* testantis, itemque *novos caelos, et novam terram nos esse visuros*: Quem in locum Hieronymus inquit: *non dicit alios caelos et aliam terram, sed veteres in melius commutatos.* Nec alia profecto Augustini mens est *Lib.* XX. *de Civ. Dei cap.* XIV. Apocalypseos illud XXI. interpretantis: *Et vidi caelum novum, et terram novam; primum enim caelum, et prima terra abiit, et mare iam non est.* Quo loco non praeteream egregium atque omnino praeclarum Augustini effatum *Elementorum corruptibilium qualitates, quae corporibus nostris corruptibilibus congruebant, penitus interibunt; atque ipsa substantia eas qualitates habebit, quae corporibus immortalibus conveniant.* Vnde mundi concremationem cum eiusdem interitu per diluvium comparat, de quo in Epist. II Petri *cap.* III. *Mundus aqua inundatus periit*, idest maximam qualitatum mutationem subiit,

eadem perseverante substantia. Quo diserte adducit Ecclesiastae verba III. 14. *Didici, quod omnia opera, quae fecit Deus perseverent in perpetuum.*

III. Sed ante beatos Patres Hieronymum et Augustinum diu id ipsum suaserunt Irenaeus, Chrysostomus, Theodoretus, qui postremus *Comment. in Ps.* CI. caelum vestimenti instar immutandum, et instaurandum esse scribit; a quo non ablusit Gennadius in libro de Dogmatibus Ecclesiasticis, cuius haec sunt expressissima verba: *Caelum et terram non credamus abolenda per ignem, sed in melius commutanda: Figuram quoque mundi, idest imaginem, non substantiam transituram.* Fortasse ex hoc Gennadii loco profecit Gregorius Magnus, qui *Lib.* XVII. *Moral.* contraria in speciem Scripturae loca conciliaturus haec disertissime posuit: *Caelum et terra per eam, quam nunc habent, imaginem transibunt, sed tamen per essentiam sine fine subsistent.*

IV. Haud audeo tamen erroris veluti reos incusare qui caelum terramque prorsus peritura, eorumque loco novum caelum, terramque novam a Deo fabricandam putant. Scio enim magni nominis Patres in eam potius discessisse sententiam, in primis Basilium,

et Ambrosium, quorum auctoritati nihil refragatum volo. Quid quod Thomas rem in utramque disputat partem; immo Porphyrii aetate non diversa sensisse Christianos ex Augustino docemur *Lib.* XX. *de Civ. Dei cap.* XXIV. dicens: *Porphyrius Christianos ob hoc maxime arguit stultitiae, quod istum mundum dicunt esse periturum.* Nisi quod, quae de rerum universitate igni absumenda antiqui crediderunt, de tellure tantum eiusque atmosphaera, seu caelo aëreo, intelligenda puto, quemadmodum Petrus Lombardus inculcat, *tantum ascendet ignis in iudicio, quantum ascenderunt aquae in diluvio.* Cui subscripsit Thomas in IV. Dist. 47. non *oportere purgari* inquiens, nisi illas partes mundi, in quibus homines peccaverunt.

V. Porro mundi conflagrationem hanc Ethnici testati sunt quam expressissime. Heraclitus, auctore Simplicio *Comment. ad Aristot. de caelo*, mundum exarsurum, atque ex favillis demum renasciturum tradidit. De quo Clemens Alexandr. *Strom. Lib.* V. *Notat enim Heraclitus edoctus e barbara philosophia, mundum a malis hominibus purgatum iri per ignem.* Quam ἐμπύρωσιν ab Heraclito Stoicos didicisse auctor i-

dem est Clemens. Nec minus praeclare Tullius *Lib.* II. *de Nat. Deor. Ex quo eventurum, ut ad extremum omnis mundus ignesceret, quum humore consumpto, neque terra ali posset, neque remearet aër . . . ita relinqui nihil praeter ignem, a quo rursum animante ac Deo, renovatio mundi fieret.* Quod ipsum Ovidius cecinit *Metamorph.* I.

Esse quoque in fatis reminiscitur adfore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaque regia caeli
Ardeat, et mundi moles operosa laboret.

Et Lucretius *Lib.* IV.

—— multosque per annos
Sustentata ruet moles, et machina mundi.

Itemque Lucanus Lib. VII.

Communis mundo superest rogus.

VI. Tametsi vero ex mundi senio eiusdem interitum non nulli repetant, ut Cyprianus, et ex ethnicis Hipparcus, apud Columellam, Copernicus tamen et ex recentioribus satis multi ex ignibus subterraneis maiori impetu aliquando erumpentibus, quam quomodo per ignivomum Vesuvium passim videmus, conflagratura omnia arbitrantur: cum igne cen-

trali conspirantibus una caelestibus astrorum ignibus sic ut *omni flagrante materia*; *uno igne*, *quidquid nunc ex disposito lucet*, *ardeat*, quemadmodum Seneca inquit in Epist. ad Marciam. Quamobrem sicut superioribus, inferioribusque simul aquis coëuntibus alluvione terram Deus olim perdidit, ita demum siderali flamma, atque subterranea, veluti ex condicto ardentibus,

> Terras, et illis quidquid est sublimius
> Depascet ardor

Tomi IV. Finis.

INDEX

CAPITUM

PARTIS I.

INDEX

CAPITVM, ET SECTIONVM

PARTIS II.

Tomi IV. Finis.

ERRATA	CORRIGE.
Pag. 5. v. 8. Doctissimas	Doctissimus
77. v. 13. diabalum	diabolum
85. v. ult. εργομενη	ειργομενη
. . . . . . ανδρομεοιο	ανδρομενοιο
86. v. 3. ισχανακ	ισχαναει
108. v. 9. ιχους	οιχους
111. v. 20. Ethenicos	Ethnicos
116. v. 16. Deereat	Deerat
121. v. 19. Apellavit	Adpellavit
150. v. 19. ub	ab
150. v. 14. ουϑεν	ουδεν
161. v. 24. creatoris	creaturis
176. v. 16. iu	in
180. v. 3. propuguaruut	propugnarunt
200. v. 22. Esajas	Isajas
231. v. 9. τος ανδρας τος	τȣς ανδρας τȣς